3

Q. D. B. V.

DISPUTATIO JURIDICA,

DE

EO, QUOD IN PIIS CAUSIS IMPIUM EST,

QUAM

AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. FRIDERICI AVGVSTI,

ELECTORATUS SAXONICI HEREDIS,

ETC. ETC. ETC.

MODERATORE,

DN. JO. BALTHAS. WERNHERO, D.

PAND. P. P. COLLEGIORUMQUE JURIDICORUM, QUÆ VITEMBERGAE SUNT, ASSESSORE,

D. XXX. SEPTEMBR. MDCCX.

PRO GRADU DOCTORIS

OBTINENDO

H. L. Q. C.

P. P.

CAROLUS OTTO RECHENBERG.

VITEMBERGAE, LITERIS CHRISTIANI GERDESII.

ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DOMINO OTTONI HENRICO

LIB. BARONI

A FRIESEN,

S. ROM. IMP. BANDERESIO,

DYNASTÆ IN ROETHA, GASCHVVIZ, COTTA, RUBEN, ETC.

S. REG. MAI. POLON. ET SEREN. ELECT. SAXONIÆ,

IN

SENATU SANCTIORI CONSILIARIO SENIORI

ET

CANCELLARIO,

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO VITAM ET SALUTEM

PERENNEM.

ILLUSTRISSIME, ATQUE EXCELLENTISSIME

CANCELLARIE,

DOMINE GRATIOSISSIME,

NE forte, EXCELLENTIÆ TUÆ, præfidentis homo animi videar, quod levi huic ſchediasmati ILLUSTRISSIMUM NOMEN TUUM præfigere auſus ſim, audaciæ meæ culpam deprecari neceſſum habeo. Agit illud de *impio*, quod ſæpe in *cauſis piis* vulgo dictis, a prudentibus obſervatum fuit. Hoc pro modu-

modulo mei ingenii, quod, quam ſit exiguum non ignoro, ulterius demonſtrare, TUOQUE, DOMINE GRATIOSISSIME, Excellentiſſimo judicio ideo ſubmittere ſuſtinui; quod juſtitiæ, quæ magna pietatis pars eſt, *Summus* Regia autoritate in Electoratu Saxoniæ *Conſus* & *Præſes* ob maxima in Rempublicam merita conſtitutus ſis. Cujus ergo judicium, aut cenſuram gratioſam magis, quam TUAM, hac in parte ſubmiſſe exorare debui? Præſertim, cum ea ſis clementia, ut omnibus literatis facile aditum concedas, juſtisque eorum deſideriis benigniſſime ſatisfacere ſoleas. Hæc enim ſpes gratiæ, qua non ita pridem Parenti meo etiam frui datum fuit, me quoque excitavit, ut gratiam TUAM, MAECENAS MAXIME, hoc alloquio expetere non erubuerim. Confiſus igitur ILLUSTRISSIMAE FRISIANAE DOMUI propria humanitate, oro, rogoque, hoc levidenſe ſchediasma ſerena fronte accipere, & ejus novello autori favere velis. Deum ego Ter Optimum Maximum religioſe invoco, ut

TUAM EXCELLENTIAM, DOMINE GRATIOSISSIME, in hoc ambiguo rerum ſtatu publicæ patriæ noſtræ ſaluti ſoſpitet, incolumem diutiſſime conſervet, atque conſilia *Tua* pro juſtitia & pietate, quæ Reipublicæ fulcra ſunt, porro proſperet & ſecundet, donec quod ſerum ſit, cum ILLUSTRISSIMIS MAJORIBUS TUIS de Saxonia immortaliter meritis, juſtitiæ & Pietatis palmam in cœlo ex voto conſequaris. VALE!

ILLUSTRISSIMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ

Witemb. VI. Kal. Octobr. CIↃ IↃ CC X.

humillimus cultor & cliens,

CAROLUS OTTO RECHENBERG.

CANDIDO LECTORI

S. P. D.

CAROLVS OTTO RECHENBERG.

PAradoxon multis videbitur, quod in *piis*, quæ vocantur, *cauſis*, *impii* ſæpius *quid* latere, in hac diſſertatione demonſtrare aggreſſus ſim. Imo erunt forte, qui ſanctum pietatis nomen me ipſum læſiſſe ideo arguent, quod parum reverenter de pia majorum munificentia in Eccleſiam ſentire non extimuerim. Enimvero, qui temporum & morum corruptorum habita ratione, ſtatum Eccleſiæ, verum piarum cauſarum uſum, & inſecu-

tum abuſum ex circumſtantiis in morali rerum æſtimatione, juxta regulas divini & humani juris examinare norunt, de auſu hoc meo mitius judicaturos eſſe, confido. Non enim ſine lege & ratione quidquam impium in piis cauſis audacter dixi. Si tamen, id quod non negarim, aliquando erraverim, benevolos & æquos lectores rogo, veniam lapſo benigne indulgeant, meque in hac diffuſa, & ſæpe intricata materia hæſitantem meliùs edocere dignentur. Non enim per ætatem illam ingenii pertinaciam induxi, ut rectius judicantium doctorum ſententias oppugnare audeam. Quin potius opto & precor ab aliis ſubactioris judicii JCtis meliora & ſolidiora ſubinde ediſcere. Quod ſi ergo hiſce προλεγομένοις in vaſtisſimo piarum cauſarum abſolvendo ſtudio, B. L., faveas, novum ad continuationem arduæ materiæ & juſto aliquando opere exponendæ calcar addes. Vale! Dab. Lipſiæ, MDCCX. IX. Sept.

INDEX

INDEX APHORISMORUM.

SECTION. I.

Sect. II.

De eo, quod impium in modo acquirendo piarum causarum.

I. *Monachi olim opera manuaria sibi panem; quidam mendicando quæsiverunt*

II. *Misera, hæc illorum conditio Laicos movit, ut certos reditus ipsis alendis constituerint, quorum bonorum antistites essent præfecti. Horum* πλεονεξία *ista adauxit.*

III. *Huic inventæ satisfactiones, indulgentiæ, & Missa admodum inservierunt, inde impietas notatur.*

IV. *Privilegia postea contra J. Civile ab Imperatoribus istis causis scil. piis concessa. Horum iniquitas notatur & probatur.*

V. *Plurima ad pias causas referuntur, quibus illarum definitio aptari nequit.*

VI. *Quæstio ventilatur; an ministro Ecclesiæ, blanditiis morientem inducere ad legatum piæ causæ constituendum liceat?*

VII. *Privilegia piarum causarum circa legata, quæ justitiæ universali & socialitati repugnant, minus pia censeri debent.*

IIX. *Exempla hujus generis adducuntur.*

IX. *Num Quarta Falcidia in testamento ad piam causam deduci queat?*

X. Num

X. Num major favor liberorum, num vero piarum causarum?

XI. Iniquitas hic notatur, quando Clerici in causa testamentaria & propria testes, executores & judices esse volunt.

XII. Privilegia de donationibus inter vivos ipsis concessa examinantur, & num donatio omnium bonorum in pia causa locum inveniat?

XIII. An circa decimas alicui privilegium dare possit Imperator?

XIV. Num piæ causæ privilegiis in contractibus jure gaudeant, atque semper favorem minorum sibi quoque vendicare queant?

XV. Privilegia nonnulla circa contractus discutiuntur, & quid in illis observandum, annotatur.

XVI. An Episcopus vi ditiores ad eleemosynas cogere possit, & deprecationes publicæ in mulctam pecuniariam converti queant?

SECT. III.

De eo, quod impium in administratione piarum causarum.

I. Abusus Bonorum Ecclesiasticorum post Caroli M. tempora, cum fastu Clericorum increvit.

II. Ille in canonicatibus & canonicis notatur.

III. An plures Episcopatus aut Canonicatus salvo jure in unum conferri queant?

IV. An

IV. An canonicatus possint vendi?

V. Quid de Clericorum profusione in suos cognatos statuendum?

VI. Ad quem reditus vacantis episcopatus, donec alius eligatur, spectent? Jus Regaliæ Imperatori & Principibus vindicatur.

VII, An bona Ecclesiæ ab omnibus tributis necessariis immunia esse debeant?

IIX. Quando & quo jure a jurisdictione Imperii Civilis exempta?

IX. X. Privilegia piarum causarum in contractibus aliquid impii habent.

XI. An bona Ecclesiæ alienari queant.

XII. Num in aliam æque piam causam, contra voluntatem testantis commutari queant? Quatenus additæ execrationes donatorum morientium heredes obligent?

XIII. Num bona Ecclesiastica ad secularem usum adplicare liceat. Pontificis exemplo in publicâ Bulla edito cum certis limitationibus illustratur.

XIV. BRUNNEMANNI argumentum contra eorum secularisationem examinatur.

XV. Himmelii, Thummii, & aliorum rationes dubitandi discutiuntur.

XVI. Clausula votiva.

SECTIO

SECTIO I.

DE PIARUM CAUSARUM NATURA, ORIGINE, ET FINE IN GENERE.

I.

Pietatis ſtudium, quod gentium Apoſtolus ad omnia utile pronunciavit, tantæ fuit priſcis Juris Civilis doctoribus curæ, ut, cum plurima in earum favorem privilegia producerent, nulla meliori ratione pietati, quam vocabant, ſe ſatisfeciſſe crederent. Hæc poſtea in favorem Ordinis Clerici ita ſubinde aucta fuerunt, ut novus ferme Juris ſeſe aperiret campus, ſi quis privilegia illa atque immunitates earum penitius ſcrutari vellet. Factum inde, ut cum primi *Piarum Cauſarum* patroni ſuperſtitioni plebis, novis inventis privilegiis faverent, ipſorum poſteri avaritiam luxumque Cleri iſtis

causis indulgentes explerent, & tam magnificum pietatis titulum non levi impietate & injustitia contaminarent. Cum itaque hoc Schediasmate illa, quæ *impia* sub pietatis fuco in Jus irrepsere, quodammodo pro ingenii mei tenuitate repurgare, aut annotare potius instituerim, more in Academiis consveto *notiones* prius rerum breviter explicabo, ac deinde quæ *origo*, quisque *finis* piarum causarum olim fuerit, hac *prima sectione*, DEO juvante, exponere aggrediar.

II.

Primo loco descriptio *Piæ causæ* proponenda videtur, ut postea de ejus pietate aut impietate eo rectius judicari queat. Hæc cum apud scriptores piarum causarum rarior occurrat, aut saltem implicite in eorum commentariis lateat, commode, ut puto, ita concipi poterit, quod videlicet sub *piæ causæ* nomine veniant, *omnia illa bona, quæ ex reverentia divini numinis & Christiana dilectione in gloriam & cultum DEI externum, ac usus egentium, ordinis præcipue clericorum, a populo aut imperantibus pia intentione, collata aut destinata fuerunt.*

III.

Huc ergo communi loquentium stylo omnes res, quæ *sanctæ*, *sacræ* & *religiosæ* vulgo dicuntur, referri possunt. Harum autem cum promiscua quam plurimum sit appellatio, paucis quoque earum nomina, quibus insigniuntur aut distingvuntur, adferam. *Trebatius* apud *Macrobium III. Saturnal. 3. Sanctum*, inquit, *interdum idem est, quod sacrum, idemque, quod religiosum, interdum aliud; nimirum quod venerabile, incorruptum, inviola-*

violatum est. &c. *Lancelottus* tamen *Institut.* l. 2. tit. XVII. ita distingvit: *Transeamus ad res sacras & sanctas, quales sunt Ecclesiæ, Altaria, Sanctorum in his condita reliquiæ, vasa, vestes, & similia, ad divinum cultum principaliter comparata, paulo mox & de religiosis dicturi, ut sunt religiosæ domus, & Xenodochia, coemeteria, & sepulturæ.* Ubi *Zieglerus* in *not.* ad hunc locum: *Sacrum alias differt a sancto & religioso, quod omne sacrum est sanctum & religiosum, non e converso. Sunt enim & muri & portæ civitatis, & homines aliqui sancti, qui tamen sacri aut sacrati non sunt. Religiosus etiam locus dicitur sepultura, quæ tamen sacrata non est. Verum plerumque etiam Jure Ecclesiastico quicquid est sanctum, vel religiosum, large dicitur sacrum, & vice versa, & Ecclesia quandoque dicitur sacra, quandoque sancta, quandoque etiam religiosa. V. Augustin. Barbos. de jur. Eccles.* l. III. c. 3. n. 9. 10.

IV.

In *specie* vero piis causis accensentur plurimæ res, quæ sub generali titulo *sacrarum, sanctarum & religiosarum* rerum comprehenduntur, quarum explicatio apud doctores variat. *Andreas Tiraquellus*, cum *privilegia piarum causarum* edere instituerit, in *præfatione* ad hoc opus, quæ sensu speciali piarum causarum nomine veniunt, singulari studio collegit; ita tamen, ut infinitis ferme locis citatis JCtorum Pontificiorum, & Canonistarum minori literarum charactere, quo steriles citationes insignit, nauseam statim legentibus moveat. Omissis proinde hisce tricis, ex quibus non adeo facili negotio se lector expediat, summa capita ex *Tiraquelli præfatione* excerpsi, singulorumque probationes lega-

 les

les Tiraquello aliisque legulejis defendendas relinquam.

V.

Ita vero ſpeciatim illæ determinantur: 1) ſi quid Eccleſiæ aut monaſterio relinquatur: 2) ſi quid monacho aut Clerico per donationem cedat; ita tamen, ut fiat intuitu pietatis, non conſangvinitatis aut amicitiæ: 3) ſi quid Hoſpitali, Xenodochio, Orphanotrophio, Brephotrophio, Noſocomio, Gerontocomio, aut cuicunque ſit loco, in quo pauperes recreantur, relinquatur. Hujus generis loca, ſi autoritate Epiſcopi, aut Principis erecta, nullum eſt dubium, quin ad pias cauſas referri poſſint: ſi autem privati cujusdam ſvaſu aut opibus absque confirmatione Epiſcopi ſint extructa, in contrarias Pontificii ſententias abiere. Verum cum locus pius ille proprie dicatur, in quo pietas & pietatis opera exercentur, etiam absque autoritate ſuperioris, id fieri quandoque poſſe, & hinc locum talem pium quoque dici poſſe, quis negarit? Sub Hoſpitaliorum quoque titulo veniunt ædes, in quibus milites, qui vel ob ſenium, vel vulnera in bello inflicta ad laborandum parum idonei rediere, ſuſtentantur, quæ vernacula lingva, die *invaliden* Häuſer appellantur: 4) ſi quid pauperibus conferatur, aut viduis, pupillis, orphanis, & aliis miſerabilibus perſonis; quod bona pauperum æquiparentur bonis Eccleſiarum, & pauperes ipſi ſint theſaurus Chriſti, & Jerem. V, 28. viduæ, pupilli & pauperes in una claſſe inveniantur. Item, ſi quid nobili Viro legetur, qui etſi multa habeat bona, non tamen tot poſſideat, quot conveniunt qualitati

litati & conditioni suæ personæ: *V. Menoch. in Præsumt. CXV. l. 3.* 5) si quid fraternitatibus aut collegiis relinquatur: 6) si quid sub formula legatum, *pro anima, pro remedio animæ, pro retributione æterna:* hodie um GOttes Willen ap. *Besold. p. 6. consʃ. 263. n. 3.* 7) si quid relictum sit pro redemtione captivorum, aut ad alimenta; qui duo casus *in Cod. de SS. Eccl.* iidem plane judicantur. Alimenta tamen in pauperes conferenda; si enim diviti cuipiam legata, non ad pias causas referenda, & magis ex paupertate legatarii, quam ex verbis testatoris pia causa dicitur: 8) si quid ad dotem legatum sit, circa quam idem, quod circa alimenta notandum est; ut scilicet dos pauperi virgini concedatur; si enim diviti per legatum sit relictum, erit quidem legatum privilegiatum & favorabile; non vero in omnibus privilegiis legatis piarum causarum respondebit. Quarta enim Falcidia detrahi poterit, quæ in dote pauperi legata locum non invenit: 9) si quid filiofamilias studiorum gratia a patre vel alio sit donatum, favore piæ causæ illa donatio itidem gaudebit; quia utilitatem publicam respicit, & argentum, quod filio studiorum gratia conceditur, doti filiæ æquiparandum. *Baldus* tamen circa hunc casum, quem & alii secuti sunt, monet, non omne æs, quod studiorum gratia legatum, ad pias causas referri; verum illud tantum, quod studii Theologici causa: 10) si quid ad constructionem & refectionem pontium & viarum, si quid ad munimenta oppidi & defensionem, si quid denique ad quamlibet publicam utilitatem legetur, pietatis privilegio gaudebit: 11) si quid ad erectionem monumenti; si quid ad imaginem faciendam vel depin-

 gen-

gendam, præsertim Christi & alicujus sancti, *V. Menoch. l. III. præsumpt. CXV.* si quid meretrici, ut ad meliorem frugem redeat; si quid ad spurias Clericorum elocandas, si quid ultimo ad solvendum & satisfaciendum creditoribus sit relictum, etiam a Canonistis ad speciosum & amplissimum piarum causarum titulum refertur, quo tamen jure id fiat, infra discutiam.

VI.

Perspectis illis rebus, quæ tum generaliter, tum specialiter favore tituloque piarum causarum veniunt, paucis quoque *in originem & modum acquirendi* illarum erit inquirendum. Primos ergo illorum natales ab antiquissimis temporibus, ex liberalitate principum & privatorum deducemus; ita tamen, ut plebi prima donationum gloria merito tribuatur. Cum enim populus Christianam religionem eo avidius arriperet, quod adversa fortuna pressus, aut cum tenui sorte ut plurimum colluctari solitus, mire caperetur divinis dogmatibus, quæ & præsentem numinis gratiam inter tristissima quæque, & gaudia nec post mortem finienda pollicebantur; ipsi Principes, & qui sapientiam in civitate profitebantur hujus vitæ illecebris capti meliora adhuc speranda fere aspernabantur. Per isthoc, inquam, tempus, quo religio Christiana summis potestatibus negligebatur, aut oppugnabatur, ipsi Christiani inter se utcunque Ecclesiæ curam gerebant, ipsique doctores communi suffragio electi, collatis fere stipibus alebantur. Accessit inde ad has eleemosynas quorundam liberalitas singularis, ut bona sua aut venderent, aut per donationes & testamenta pauperibus offer-

offerrent. Ex his tam tenuibus initiis autoritas doctorum Ecclesiæ, quos presbyteros aut episcopos vocabant, indies crevit. Hinc postquam ipsi Principes seculo quarto Ecclesiæ sua nomina dare cœpissent, adultam per aliquot secula Episcoporum autoritatem convellere, populo ferme ab horum nutu pendente, minus consultum videbatur. Quin aliqui istorum ultro potestatem ac opes auxerunt, vel opinione pietatis, vel ut ipsos cum addicta iisdem plebe ad destinata sua eo haberent promptiores. Ex quo factum, ut magna vis hominum sequentibus seculis sese sacris addiceret, quæ non minus solers, quam felix fuit in pariendo sibi, ex aliorum bonis opulentiori patrimonio, ut valde modestos post seculum decimum sacerdotes sit experta civitas, quæ tertia bonorum suorum parte cum ipsis decidere potuerit. Hic tam felix rerum successus majora quotidie molienda clericis svasit, ut Episcopi Romani autoritate accedente, Regnum sacrum in ipso veluti sinu Europæarum civitatum stabiliverint. Bona, quæ per liberalitatem majorum acceperant, ab omni civili potestate exemerunt, & privilegia innumerabilia ferme piarum causarum, uti ipse *Tiraquellus in præf. alleg.* profitetur, ad corroborandas vires in perniciem civitatum excogitavere; ita, ut quas opes nullo pretio acceperant, faciliori adhuc negotio tuerentur.

VII.

Cognitis sic primis piarum causarum originibus, & qua ratione bona privatorum civilia in sacros usus & sacra privilegia transiere, artes quoque & modi, quibus tam insignis præda ordini clericorum parta, erunt

erunt recensendi. Prima absque dubio ratio, quæ privatis animum, ut bona sua ad sacros usus destinarent, addidit, reverentia erga DEUM, gratusque animus erga ejus ministros, & misericordia erga pauperes fuit; quæ causæ, nisi variis postea superstitionibus fuissent commaculatæ, non omni adeo laude essent defraudandæ. At vero his superstitio & opinio meriti apud DEUM successit, quam callida Clericorum turba in tenerrimis conscientiis excitatam, mirum in modum fovere cœpit. Cum enim in Ecclesia Orientali & Occidentali quondam moris esset; ut pro mortuis quoad resurrectionem carnis, non vero animarum liberationem, preces fierent, (uti ex Liturgia Basilii, Ambrosii, & Canone Missatico in comment. de defunctis constat) ista novo modo reformatæ sunt; ut pro relaxatione & redemptione animæ defuncti oraretur. Hinc factum, ut morientes plerumque in ultimæ voluntatis dispositione clericis & monachis plurima legarent, quo ardentioribus DEUM precibus pro redemptione ex purgatorio, quod jam ante confictum fuerat, adirent. Natum inde proverbium, *nisi purgatorium fuisset incensum, clericorum culinæ non fumassent.* Sic *Fauchetus* in *Antiquitatibus suis* refert *Dagobertum* I. Regem Galliæ circa annum DCXLIV. donationem bonorum quorundam instituisse, ut pro redemptione animæ suæ preces fierent; forte quia, dum vixit, pellicum agmen secum circumducere solitus, peccata sua se hoc modo redemturum pœnisque debitis hoc pretio se exemturum putabat. Nec liberalitate Gallis cesserunt Romani Imperatores. Ut enim *Caroli M. Ludovici Pii*, & *Ottonis M.* donationes lau-

lautiſſimas taceam, illuſtre admodum exemplum in *Meinwerco* Epiſcopo Paderbornenſi ab autore, qui vitam ejus deſcripſit, memoriæ eſt relictum. Cum enim ille ampliſſima prædia ab *Henrico II.* Imperatore, alias *Sancto*, itemque *Claudo* dicto, per interceſſionem aliquot Virorum illuſtrium eblandiendo obtinuiſſet, ſic affatur *Henricum: Beatus es Henrice, & bene tibi erit, cui pro hac oblatione cœlum patebit, cujus anima cum ſanctis ſempiterna poſſidebit gaudia. Videte omnes populi, conſiderate fideles univerſi, talis oblatio ſit peccatorum abolitio, hoc ſacrificium DEO acceptabile, animabus ſit propitiabile. Hoc quoque fideles pro poſſe ſuæ facultatis imitari ſtudeant, ut pro temporalibus, æterna, pro tranſitoriis, manſura obtinere valeant.* Sed cum illis prædiis nequaquam eſſet contentus, & Piſas Weſtphalicas, quas dioeceſis Paderbornenſis incolæ vocant, Erwitte / adhuc ſatis inverecunde peteret, voti quidem compotem fecit Imperator, ſed πλεονεξίαν deteſtatus, *odium DEI & hominum eidem eſt adprecatus ob asſiduas regni ſpoliationes.* Sic enim eadem hiſtoria *Meinwerci* pergit: *Epiſcopus gaudio repletus inenarrabili, Rex omnium Sanctorum, exclamat, retribuat Tibi: & Imperator averſo vultu occulte ſubmurmurans: & Tu, inquit, odium DEI, & omnium ſanctorum ejus habeas, qui me bonis conces ſis, cum detrimento regni ſpoliare non ceſſas.*

VIII.

Superſtitioni alia quoque donationum cauſa ſucceſſiſſe videtur, quæ Romanos Imperatores & alios reges, ut bona, imo quandoque regna quoque Eccleſiæ offerrent, incitavit. Timebant ſcilicet ſæpiſſime

a laicis, si eis feuda concederent, rebelliones; inde sperabant ecclesiasticos majestati summæ fore fideliores; adeoque, si qui ex laicis Vasallis defecturi essent; ecclesiastica censura lubentius illis obicem posituros. Observat hoc *Caroli M.* politicum consilium, & imperii, ut vocat, arcanum, *Wilhelmus Malmesburiensis de reb. gest. Anglor. l. V. Cum Urbano Papa Paschalis*, inquit; *successisset, rursus quæstio de investitura Ecclesiarum, rursus bella, rursus lites agitari, neutris partibus loco cedentibus. Imperator omnes Episcopos & Abbates regni sui, quod citra montes est, fautores habebat, quia Carolus M. pro contundenda gentium illarum ferocia omnes pene terras ecclesiis contulerat, consiliosissime perpendens, nullos sacri ordinis homines tam facile, quam Laicos fidelitatem Domini rejicere. Præterea, si Laici rebellarent, illos posse excommunicationis autoritate & potentia severitate compescere.* Idem ferme exemplum historia Anglicana suppeditat sub *Johanne*, qui regnum Angliæ & Hiberniæ cum pensione annua 2000. librarum argenti *Innocentio tertio* Papæ obtulit, ut eundem contra magnates, qui *Ludovicum* Galliæ Principem in auxilium vocaverunt, strenue defenderet. Instrumentum hujus feudalis subjectionis ex *Matthæo Pariensi* ad ann. 1213. & *Heimingfordio* l. 11. c. 98. allegabo, ut & indoles regis & fastus Papæ, qui oblata accepit, eo penitius noscatur. *Johannes, DEI gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, &c. universitati vestræ per hanc chartam aurea bulla nostra munitam, volumus esse notum, quod cum DEUM & matrem nostrum S. Ecclesiam offenderimus, volentes, non vi inducti, nec timore coacti, sed nostra bona & spontanea voluntate, ac commune consilio Baronum nostrorum offerimus, & libere concedimus DEO*

& S.

& S. Apostolis Petro & Paulo ac Domino nostro Papæ Innocentio III. ejusque catholicis successoribus totum regnum Angliæ, & totum regnum Hiberniæ, cum omni jure ac pertinentiis pro remissione peccatorum nostrorum, & fidelitatem Domino nostro Papæ tanquam fœdarius juravimus & homagium fecimus. Et si aliquis successorum nostrorum hoc attentare præsumpserit, jure regni cedat. In hoc instrumento, quamvis rex asserat, se regnum obtulisse pro remissione peccatorum, nec vi coactum, sed spontanea voluntate; tamen cuilibet historias Anglicanas obiter evolventi patebit, oblationem factam ad majus evitandum malum; ne scilicet plane regnum amitteret. Juramentum, quod Nuntio Apostolico præstitit, idem *Hemingfordius* l. c. refert: *Ego Johannes Rex Angliæ DEI gratia ab hac hora in antea fidelis ero DEO, & B. Petro & Ecclesiæ Romanæ, ac Domino meo Innocentio Papæ tertio, ejusque successoribus catholice intrantibus. Eorum damnum, si scivero, impediam, consilium eorum secretum tenebo, Patrimonium B. Petri & specialiter regnum Angliæ & regnum Hiberniæ adjutor ero ad tenendum & defendendum. Sic me adjuvet DEUS, & hæc sancta Evangelia. Amen.* Hæc oblatio regni, quamvis posteris temporibus expiraverit; indolem tamen regum in illis barbaris seculis, atque inexplebilem Clericorum avaritiam & fastum demonstrat, quem exemplo *Henrici V.* Imperatoris, de quo *V. Lehman. Chron. Spirens.* l. V. c. 42. & aliorum adhuc Principum magis illustrare possem; nisi piæ causæ nos ad alias, quæ privatos ad donationes Ecclesiæ faciendas moverunt, rationes vocarent.

IX.

Quas ſeptimo jam paragrapho cauſas allegavi liberalitatis erga Clericos, gratam mentem ſcilicet erga doctores & eccleſiæ miniſtros, miſericordiam erga pauperes, ſuperſtitionem denique circa preces pro mortuis, plebi & principibus ferme communes extiterunt; ut mutua quaſi erga Eccleſiam benevolentia certarent. Aſt, quam octavo loco memoravi politicam cauſam, principes ſoli ſibi vendicant. Reſtat itaque alia adhuc ex moralibus fontibus deducenda, quæ plurimos privatæ ſortis homines ad legandas facultates Eccleſiæ incitavit, *avaritia* ſcilicet, *vanumque gloriæ ſtudium.* Cum enim ea ſit avarorum conditio & indoles, ut nihil magis illos afficiat, quam ſi immenſam opum molem congeſtam videant; econtrario vero maximopere doleant; ſi, quod duriſſimis laboribus & creberrimis vigiliis parta ſunt, a prodigis ſucceſſoribus iterum dilapidentur, & ipſorum tenacitas poſt mortem hæredibus ſit ludibrio; nulla meliori ratione avari homines ſuis votis ſatisfacere ſe poſſe putarunt, quam ſi bona ad pias cauſas legarent, & hoc modo opum vim, quæ, dum viverent, intacta inviolataque manſit, etiam poſt funera illibatam conſervarent. Comitatur plerumque avaritiam *ambitio* & *invidia*, quæ duo plurimum huc conferunt. Ambitioni enim, cui dum viverent, ob expenſas, quas timebant, ſatis facere non poterant, poſt mortem, ut opinantur, optime conſulunt, ſi magnam facultatum partem ad pios uſus legent, & in orationibus annuis proprias quaſi laudes per ſtipendiarios præcones decantent.

tent. Invidia nec post fata tranquillos esse concedit, si sciant hæredes de eo, quod ipsi tangere nefas judicarunt, genio liberius litaturos, captivosque aureos bono publico potius, quam arcis dedicaturos. Tribuerunt ergo potius Ecclesiæ & piis causis, quam illis, quos necessitudo & consvetudo ipsis junxit, vano solamine ducti, res ecclesiæ esse nullius, quæ tamen hypothesis merito cum *Excell. Titio* nostro *pro callido Cleri ethnici & Papalis commento* habetur v. ejusdem *Syst em. Jur. p. 1131.*

X.

Possent hic plures aliæ allegari causæ, quæ a Clericis inuentæ privatos pariter homines ac principes ad donationes Ecclesiæ piisque causis faciendas incitarunt, quas *Illustris Pufendorfius* in nervoso tractatu *de Monarchia Pontificis Romani* §. 17. *seqv.* & 33. solerter indagavit & descripsit. Duas ego tantum, quibus plurimum piæ causæ tribuunt, adhuc commemorabo. *Una singularis æstimatio expeditionum*, ut vocant, *cruciatarum fuit*, quæ cum a Pontifice *Urbano II.* svasu *Petri Eremitæ*, in concilio Claremontano ann. M XCV. primum essent susceptæ, tanta sui admiratione omnem Europam occupavere; ut, cum homines pietate quasi inter se certarent, vici & oppida plurima suis incolis orbata fuerint. *Bernhardus*, *Abbas Clarevallensis*, nuntius Papæ *Eugenii* in comitiis Spirensibus ann. MCXLVII. sub *Conrado III.* Imperatore, cum Germanos ad suscipiendam expeditionem hortatus esset, se effecisse gloriatur; ut in vicis & oppidis Rhenanis septem mulieres ad singulos mares in computatione referrentur. conf.

Otton. Friesing. de gest. Frieder. l. I, 37. 39. Has expeditiones, quarum quinque insigniores numerantur, in fraudem Regum & Principum excogitatas, ut viribus scilicet destituerentur, quibus se majestati jam dum adultæ Pontificiæ opponere possent, pluribus demonstravit Venerandus Pareus meus *in Differt. de Expeditionibus cruciat.* Ex voto itaque cum Pontificis, tum uniuersi ordinis clerici cesserunt; ita, ut Pontifex neminem eo tempore haberet, qui eundem interrogaret, *Papa quid facis?* clerici autem per testamenta abeuntium & nunquam forte redeuntium opulentissimam quamque partem ditionum occuparent. *Altera*, quæ expeditionibus cruciatis adhuc antiquior, Ecclesiis, quæ primarium inter pias causas locum occupant, pingvissimas dotes peperit. Cum enim post seculum tertium a Chr. nat. non solum Principes in suis territoriis, verum etiam privati in suis fundis templa ædificarent, *V. Francisc. Duaren. de Sacr. Eccles. minister.* l. V. c. 4. ipsis postea sub *privilegio patronatus*, quod regulariter ad summum episcopum spectare deberet, injunctum; ut dotibus quoque magnificis extructa templa ornarent. Unde tanquam ex debito Ecclesiam dotare is tenetur, qui eam fundavit: *c. cum sicut 8. X. de consecrat. Eccles.* & *c. pia mentis 16. qv. 7.* Hinc *Lancelotus l. 1. t. 28. §. 2. Sicuti enim in carnali matrimonio ad onera sustinenda dos assignari debet; ita etiam concedenda sunt Ecclesiæ, quæ ad luminaria & ad custodiam, & ad stipendia custodum, & ad cetera sacræ domus necessaria, sufficiant. Institutum est igitur, ut cujusdam quasi remunerationis loco, ad præsentationem patronorum in fundatis, vel dotatis Ecclesiis sacerdotes instituantur, nullo professionis vel sexus habito discrimine.*

Idem

Idem *Lancelotus. l. u. t. 18. §. 9. nec illam patietur ædificari* (sc. Episcopus) *aut munus impendet consecrationis, quam dotem Basilicæ, & obsequium ipsius per donationem chartulæ confirmatam accipiat, quæ ad luminaria, & ad custodiam, & ad custodum stipendia, sufficere valeat. In compensationem dotis splendidum juris patronatus privilegium ædificanti & dotanti concessum; ut pietatis & singularis in Ecclesiam voluntatis perpetuum esse posset monumentum*, ut loquitur *Franciscus Duarenus* l. c. & ut magis incitarentur homines ad ædificandas & dotandas ecclesias, *c. nobis X. de jur. Patron.* Accesserunt deinde confirmationes *Justiniani Novell. 57. c. 2. Novell. 67. c. 2. Novell. 123. c. 18. Caroli M. Ludovici Pii &* aliorum. Hinc apposite admodum *Zieglerus in not. ad Lancelot.* l. c. *Si recte novi Canonistas modernos, nec hoc quidem jus (sc. patronatus) permisissent; nisi id marsupiis illorum proficuum esset, & bona Clericorum ampliaret. Cum enim Laicis nullum omnino in bonis ecclesiasticis regulariter Jus relinquant, nec ut iis sese immisceant, patiantur, c. bene 1. distinct. 96. c. noverint. 6. caus. 10. qu. 1. & c. cum laicis. 12. X. de reb. eccles. alienan. non sane aliunde profectum hoc jus Patronatus dicere possunt, quam de gratia Ecclesiæ & Pontificis, c. quoniam. 3. X. de jur. Patron.* Hæc itaque dispositio Cleri de dotanda ecclesia, quantum ad opulentiam piarum causarum contulerit, illi judicent, quibus sacrarum ædium vastissimus numerus, & hinc dotium quoque lautissima conditio perspecta est.

XI.

Visis nunc illis, quæ tum ad pias causas referuntur, tum originem fundationum illarum dederunt, ut

ut *finem* quoque earum demonstremus, institutum nostrum postulat. Fuit ergo *finis primarius* olim erogationum ad pias causas, ut inde alimenta acciperent ministri ecclesiæ, eleemosynas pauperes, salaria monasteriorum & scholarum præfecti, & stipendia vel victum discentes. Quem finem laudabilem concinnis admodum verbis, & hunc postea insecutum abusum veteres Witebergensium Theologi in epistola ad Electorem *Fridericum Sapientem* annotarunt: *Satis constat, collegia vetera, monasteria & templa initio non fundata, constituta, ordinata, regiisque opibus locupletata fuisse, ad lectionem Missarum vel horarum Canonicarum deblaterationem, absque fructu & utilitate ecclesiæ & fidei Christianæ, quod nunc fere fit; sed potius, ut juventus in sacra scriptura & religionis doctrina erudiretur. Itaque vetera collegia, cœnobia, & dioeceses fuere schola juvenum Christianorum usque ad Augustini, imo Bernhardi ætatem. Ad hunc finem omnia bona facultatesque ecclesiastica legata donataque fuerunt; ut inde stipendia & quasi præmia laborum darentur Pastoribus, Doctoribusque Ecclesiarum, & inde sustentarentur scholastici aliique pauperes, quod veterum monumenta historica perspicue indicant. Recentes vero &c.* Idem innuit *Chytræus in Chron. Sax. p.51. Et attributi reditus ampli & uberes, ut alimenta & stipendia necessaria Episcopus & ceteri Doctores Canonis Biblici ipsi adjuncti, & Clerici ad ministerium Ecclesiæ instituendi, & eleemosynas pro pauperibus & peregrinis, & sumtus ad ædificia templorum sarta tectaque conservanda haberent.* Testantium quoque intentionem fuisse, ut in conservationem scholarum, Ecclesiarum & pauperum verterent, *Lutherus t. 2. Eisleb. p.313.* asserit. Worzu soll man solche Güther

brauchen?

brauchen? Hier kan man nicht besser antworten/ denn daß man acht habe auff der Stiffter Willen und Meynung/ welche je nichts anders gewest ist/ denn daß sie zu GOttes-Dienst und Ehre solche Güther haben wollen geben/ ꝛc. It. *T. 7. Jenens. ed. 1568. p. 261.* Man siehet wohl/ wie mit grossen Ernst die alten Käyser die Pfarren und Schulen gemeinet/ da sie so reichlich die Stiffte begabt haben. Denn daß es erstlich Schulen gewesen seyn/ zeugen diese Nahmen/ Probst/ Dechant, Scholasticus, Cantor, Canonici, Vicarii, Custos &c. Aber was ist draus worden? Agnoscimus ergo ex l. c. quibus innumera ferme alia addere possem; præcipuam & optimam testantium in veteri ecclesia fuisse intentionem, ut suis bonis DEI gloriam promoverent. Hæc vero, cum nulla meliori ratione amplificari possit, utique omni laude dignum institutum est pios doctores ecclesiæ pauperesque sic fovere. At vero tum ex parte donantium, tum ex parte accipientium & administrantium vanæ quædam persvasiones, & detestabiles abusus postea accesserunt, quos in *secunda* & *tertia* sectione notare jam paramus.

XII.

Cum itaque primarius olim piarum causarum finis fuerit, ut pietati donantium & aliis piis usibus responderent; illarum executores longo abhinc tempore, a legitimo usu recessere, &, quod pietati in DEUM & proximum destinatum fuerat, varia impietate contaminarunt. Per malitiam enim vel negligentiam patronorum piarum causarum factum, ut splendido

pietatis titulo exciderint, magnæque inde impietates atque iniquitates in adquisitione & administratione illarum hinc inde a cordatis viris observatæ fuerint. Quas cum sequentibus sectionibus excutere instituerim, mearum prius erit partium, ut, quid hic *impium* sit, imprimis declarem, & hac exposita notione, impietates in sic dictis piis causis ostendam. *Impium* ergo hic nobis dicitur, *id vitii genus, quod neglectis divini & naturalis juris regulis, cum in adquisitione, tum in administratione bonorum in usus Clericorum & pauperum pia intentione donatorum, contrahitur.* Norma enim, ut justitiæ, ita pietatis, sunt justæ leges, sive illæ divinæ, sive humanæ appellentur. Quicquid igitur iis ulla ratione repugnat, id *iniquum* aut *impium* vocatur. Quamobrem in dijudicanda alicujus rei aut actionis impietate circumstantiæ morales ad Juris aut legis normam semper examinandæ sunt, antequam pium quid aut impium, justum vel iniquum pronuncietur. Atque hoc in piis causis vel maxime attendendum esse arbitror. Non enim illorum me superstitio terreat, qui pias causas omnibus legibus civilibus & naturalibus exemtas clamant, gloriamque divinam quovis modo etiam ex ratione status promovendam prætendunt, cum Clarissimorum JCtorum magna nomina *Ziegleri in not. ad Lancelot. l. II. t. 23. & Carpzovii* multis in locis iis opponere possem. Ad leges itaque Juris naturalis & divini, quandoque & Juris Civilis tanquam ad lydium veritatis lapidem pias causas earumque favorem examinare pergam, illarum *pietatem* aut *impietatem* exinde dijudicaturus. Priusquam vero me ad secundam Sectionem accingam, piarum causarum

cum

cum *Excell.* noſtro *D. Titio Syſtemat. l. IX. C. XVII.* duplex adhuc erit habenda ratio. Duo etenim præcipui cœtus exiſtunt, qui Chriſtianam profitentur Religionem, Pontificii & Proteſtantes, ex quorum ratione ſtatus diverſa diſcrimen piarum cauſarum valde inſigne naſcitur. Jus enim Pontificium ejusque interpretes pias cauſas admodum multiplicarunt, iisque varia privilegia vel jura ſingularia tribuerunt, quod quidem intuitu Romanæ Eccleſiæ non adeo probari poteſt; cum hodie ſub nomine Eccleſiæ Clerus fere tantum numeroſus Reipublicæ parum utilis lateat. Quod vero Eccleſias Proteſtantium attinet, quarum ſors tenuior eſt, benigniores illæ diſpenſationes facilius admitti poſſunt, quia per reformationem bonorum Eccleſiaſticorum abundantia ad mediocritatem redacta ſummorum imperantium moderationi & diſpoſitioni nunc maximam partem ſubeſt; adeoque abuſus tanto cum effectu conſequi non poſſunt. Favor itaque merito non ex ſtudio partium, ſed ex conditione externa Eccleſiæ, Proteſtantium erit habendus; ita tamen, ut ſi quid iniquum aut impium etiam circa horum pias cauſas deprehendatur; idem quoque bona fide ſit animadvertendum.

SECTIO II.

DE EO,
QUOD IMPIUM IN PIARUM CAUSARUM ADQUISITIONE DEPREHENDITUR.

I.

PRimis religionis Christianæ seculis, longe alia erat Ecclesiæ facies ab ea, quam postea labentibus seculis induit, & in formam status reipublicæ degenerare cœpit. Calicibus contenta ligneis, sacerdotibus fruebatur aureis, & Clerici ex stipe collecta vivere necessum habebant. *Constantino M.* vero rerum potito, iis pingviores reditus ad vitam hanc transigendam assignabantur, qui ex reverentia & dilectione populi erga Clerum subinde auctiores redditi fuerunt. Præsertim cum varii ordines in clericorum societate aucta, cum grege monachorum pullularent, quibus cum labore manuum panem quærere molestum erat. *Lancelotus* inde *Institut. Jur. Canon. l. III. t. 4. Ad hos monachos*, inquit, *quies, oratio, & manuum labor spectat.* Ex quo loco *Marcus Anton. de Dominis, de Reipubl. Eccles. l. IX. c. 5. n. 51.* prolixe docet, suorum laborum fructibus non aliis artibus a monachis esse locupletandam Ecclesiam. Talem enim laborem priscis ecclesiæ temporibus monachis usitatum fuisse, *Renat. a Valle in Hipparch. n. 94.* probat.

II. Ast

II.

Aſt tenuis hæc monachorum conditio, ſingularem ipſis ſanctimoniæ exiſtimationem atque plebis Principumque favorem conciliabat. Plurima hinc diverſis de cauſis moti, vel viventes adhuc iis donabant, vel morituri bona legabant, quibus eorum inopia ſublevaretur. Hæc, cum non in ſingulorum dominium; verum in univerſi ordinis emolumentum cederent; adminiſtratio eorum epiſcopis aut præſulibus fuit oblata. Qui habendi cupiditate nondum expleta, indies majora acquirere nitebantur, artibus novis excogitatis, per quas rei oeconomicæ magis, quam Religioni & pietati proſpectum ibant. Immodicam nova acquirendi & parta tuendi cupiditatem *Joh. Petr. de Ferrariis*, qui circa an. M CCCCX. vixit, *in Prax. t. LI. num. 3.* taxavit: *Clerici & religoiſi pro ſe fecerunt legem, quod non posſint vendere, nec alienare, nec dividere eorum bona, ſicque in brevi neceſſe eſt, quod omnia bona Laicorum ſubjiciantur dominio Clericorum; niſi bonus Imperator provideat, qui donationem Conſtantini revocet, & legem faciat, ut omnium Clericorum ſtatus ad ſtatum mendicantium fratrum penitus reducatur, & Papa cum Cardinalibus ſimiliter ad vitam Chriſti & Apoſtolorum ejus deveniat.* Qua impudentia Imperatores ac reges adierint, ſupra *Sect. I.* exemplo *Meinwerci* illuſtravimus, qui Henricum Sanctum crebris ſollicitationibus ad iracundiam permovit. Idem exemplum *Gvilielmus Neubrigenſis in reb. Anglic. l. III. c. 25. de Henrico II.* Angliæ rege memorat, qui in publica concione magnatum ita peroravit: *Nonne melius eſt, ut pecuniæ iſtæ impendantur*

necessariis regni negotiis, quam episcoporum absumantur deliciis? Nostri enim temporis præsules veterum in se formam minime exprimunt, sed circa officium langvidi & remissi totis mundum brachiis amplectuntur. Sic *Henricum Leonem Saxon. Ducem* de nimia Episcoporum avaritia & opulentia conquestum *Cranz. Metropol. l. VII. c. 1.* asserit: Insanæ basilicarum dominicarum structuræ, & amplissimi Episcopis & Canonicis deputati reditus, ita *ut luxu & lascivia diffluerent libentiùs prœliantes, quam prædicantes, Gviliel. Neubrig. rer. Angl. l. V. c. 22.* adhuc quoque de opibus Clericorum variis artibus partis testantur. Quam ob causam Veneti, Galli, & Britanni æquum judicarunt, ut donationum ad pias causas & Ecclesias modus esset: ideo promulgatis edictis prohibuerunt, ne quis imposterum prædia aut bona immobilia Ecclesiæ aut ordini ecclesiastico absque superiorum consensu donaret, *Bodin. de Republ. l. V. c. 2. Sleid. l. VI. de Stat. relig. & reipubl.* Quibus ergo artibus ad emungendam laicis pecuniam pietatis nomine velatis usi fuerint, ulterius paucis pandam.

III.

Earum *Höpfnerus*, insignis Theologus Lipsiensis, in *Saxon. Evangel. p. 154.* tres præcipue commemorat: *Prima* est, *quod mulctæ pecuniariæ loco satisfactionum Canonicarum laicis impositæ, prius ab iis solvendæ essent, quam absolverentur.* Quæ autem impietas in isthoc satisfactionum genere lateat, ex *Lanceloti* quoque verbis intelligi poterit, *l. IV. t. 13. §. 22. Hæredes*, ait, *ut pro mortuo satisfaciant, si sponte nolint, Ecclesiastica censura compelli possunt.* Quam male autem *satisfactionem compensatoriam*

cum

cum *emendatoria* illi confundant, & qua ratione, a primitiva ecclesia circa satisfactiones discesserint, *Zieglerus in not. ad Lancelot. l. II. t. 5. §. 12.* accurate admodum demonstravit. Marsupiis certe Clericorum admodum proficuæ fuerunt, & cum peccatores per flagellationes, jejunia aut publicas deprecationes nollent, ut ita loquar, in corpore luere, in ære luere necessum habebant. Major *secundo* impietas in *Indulgentiarum inventa nundinatione* deprehenditur, quando merita sanctorum e communi ecclesiæ thesauro ad salutem animæ vendi cœperunt. *Maimburgius in Histor. Lutheranismi l. 1. sect. 3.* & Pontificii originem ad *S. Gregorii* Papæ, *Leonis III.* & *Clementis VI.* tempora ex Decretalibus deducunt, & per Concilium Nicænum, Ancyranum, Laodicenum, Claramontanum, Lateranum, Lugdunense, Viennense & Constantiense illarum autoritatem confirmatam fuisse, fabulantur. Enimvero *Illustris Seckendorfius in Comm. Histor. Luther.* ad l.c. *Maimburgii* fabulosam originem ostendit. Notum enim est satis, quod *Bonifacii* demum *VIII. Alexandri VI.* & *Leonis X.* auspiciis impudentes indulgentiarum nundinationes maxime invaluerint. Indulgentiarum vero impietatem manifestam non tantum *Lutherus* noster orbi Christiano demonstravit, sed ipsi quoque Pontificii scriptores *Franciscus Guicciardinus*, *P. Jovius*, *Arnoldus Ferronius*, *Natalis Comes* & alii eandem dissimulare non potuerunt. Quorum testimonia, quippe in vulgus nota adferre, opus haut est. *Tertio* loco, *Missa* inter artes lucrandi bona laicorum, modus admodum est vulgaris; præsertim licentia data eandem quibusvis in locis celebrandi; item preculæ pro mortuis ex purgato-

gatorio liberandis, qui bona ſua eccleſiis & cœnobiis legaverint. De origine cultus Miſſifici non eſt, ut hic tradam multa. *Melanchthon in epiſtola* ad *Hermannum Archiepiſcopum Colonienſem*, quam *Seckendorfius l. III. Sect. 27. §. 107.* recenſet, *Miſſam privatam*, ſcribit, *quinto ſeculo in Africa initium ex caſu quodam ſpectri pellendi cauſa habuiſſe, unde paulatim mos apud barbaras præcipue nationes irrepſerit, & mentio mortuorum in cœna recepta ſit, cum Græci in Canone offerre ſe dicant pro Prophetis & Apoſtolis, quos utique a pœna liberandos eſſe, non cogitabant, ſed gratias pro illorum miſſione agebant.* Emergente vero poſtea monarchia Papali, in Eccleſiam Romanam majore ſuperſtitione aucta tranſiit, & plures impios errores peperit, quos *Lutherus* in *Articul. Smalc. ſecund. part. artic. de Miſſa* demonſtravit. His acquirendi modis, alii ex Theologia Pontificiorum lucrativa addi poſſent, niſi illi ab Illuſtri Viro, *Pufendorfio de Monarch. Pontif. Rom. §. 17. 18. 32. 33. ſequ.* annotati eſſent.

IV.

Hos Cleri modos acquirendi ſi quis prudenter examinet, minus mirabitur, per tot ſecula uſurpatos tot prædia, tot epiſcopatus & ditiones ſub *pietatis* titulo ipſis ceſſiſſe; præcipue, cum ad ſuperſtitionem, favor in Eccleſiam & Clerum ſummorum Principum cum veneratione Papæ Romani accederet, ut circa modos donationum Jure Civili prohibitos, in gratiam Cleri facile diſpenſarent. Ea enim hominum indoles eſt, ut libentius de alieno, quam de ſuo largiantur. Humano huic genio ſeſe quoque accommodaverunt Clerici, & præcipue circa bona morientium acquirenda

da intenti fuerunt. Morti enim jam vicini, dum hæredes bonis percipiendis fraudant, rerum ſuarum ſunt quidem adhuc liberrimi domini, aſt cum dominium brevi exuere neceſſum habeant, poſt mortem quoque dominium velut exercere malunt, opesque jure naturali aliis neceſſario relinquendas, liberæ ipſorum diſpoſitioni permittere indignantur. Invidiæ ergo, ut certi eſſent limites, Imperatores conſtituerunt, variasque leges ſanciverunt; ne hæredes ab inteſtato morientis arbitrio plane eſſent expoſiti. Sagaciores inde JCti exiſtimant, prolixas ambages ſeptem teſtium, & alias ſolennitates circa teſtamenta neceſſarias hanc ob cauſam a legislatoribus ſancitas, ut per has Juris civilis tricas in condendo teſtamento requiſitas, morientes a confectione teſtamento deterrerentur, atque per fideicommiſſum, ſi quid legandum eſſet, hæredibus rei præſtationem injungerent. Has Imperatorum ſanctiones, cum Clericis in acquirendis bonis morientium absque diſcrimine obſtare viderentur, ſæpius evertere auſi ſunt, & ex favore piarum cauſarum, circa diſpoſitionem ultimæ voluntatis, privilegia impetravere. Quæ, qua ratione nitantur, &, an aliquid ex iniquo aut impio trahant, paucis disquirendo ulterius oſtendam.

V.

Prima heic Clericorum fraus occurrit, quod plurimas illi res privilegiis piarum cauſarum in teſtamento frui voluerint, quæ ſane minime piis cauſis accenſeri poſſunt. Quæ enim ſpeciatim ſub piarum cauſarum indice *Sect. I.* comprehendi diximus, magnam

D par-

partem ita ſunt comparata, ut neque pietati objectivæ, neque ſubjectivæ reſpondeant. Illa ex *Tiraquelli præfatione ad privilegia* & *Menochii Præſumptionibus l. III. c.115.* excerpſi: qui, dum partibus Cleri Pontificii favent, in juſtitiæ regulas impegerunt. Ut igitur ordine, quo ſupra ſpecies piarum cauſarum recenſui, iterum procedam, *num. III.* §. *V.* illorum error utique notandus venit, qui *Hoſpitale* privata autoritate erectum ad pias cauſas referre nolunt, moti autoritate Canonica, quæ valorem & titulum piæ cauſæ ex ordinatione Epiſcopi vel Pontificis pendere aſſerit. Autor hujus ſententiæ eſt *Antonius Gabrielius l. VI. t. de pia cauſa. concluſ. 2.* Sed cum ſupra hunc errorem notaverim, *Gabrielio* hic tantum definitionem piæ cauſæ oppono, quæ, cum Hoſpitali etiam privata autoritate erecto conveniat, vanum illius ſtudium hac in parte ad condecorandam Epiſcopalem poteſtatem inſumtum corruet. *Num. V. Menochii* itidem ſententia de piis cauſis corrigenda venit: *qui nobilem multa bona poſſidentem, quæ tamen non ex aſſe qualitatem & conditionem domini exprimunt, etiam favore piæ cauſæ frui contendit.* Non vero video, quod ſi opulentior factus ſit nobilis, quomodo gloria DEI, qui primarius finis piarum cauſarum eſt, promoveatur; is enim, ſi etiam non lautiore ſorte gaudeat, ſatis habet, ſi neceſſaria ad victum & amictum ipſi ſuppetant. Sane Chriſtiana charitas non ſplendorem & magnificentiam, ſed egeſtatis levamen reſpicit. *Num. VI. legatum pro anima* piis cauſis adnumeratur. Aſt cum huic formulæ noſtra veræ fidei Chriſtianæ profeſſio obſtet; num inter Proteſtantes legitimum uſum habeat, aſſeverare haut auſim. Hoc certum eſt, ex hypotheſibus Pontificiorum,

rum, qui eleemoſynas inter opera ſatisfactoria referunt, atque animas ex purgatorio etiam citius liberari hac ratione contendunt, jure, ſi quid ſub hac formula legatum ſit, piis cauſis accenſeri. Verum, cum *paragr. III. ſect. II.* quid de ſatisfactionibus iſtis habendum ſit, notaverim, in noſtra Proteſtantium Eccleſia hujus formulæ nullum verum uſum eſſe judicaverim. *Num. IX.* circa quæſtionem; *num* donatum filiofamilias ſtudiorum gratia favore piæ cauſæ gaudeat? *Baldus* & ipſius aſſeclæ ſuperſtitioſe monent, ad ſtudium Theologicum hoc legatum tantum eſſe reſtringendum. Aſt cum in omni ſtudiorum genere DEO & proximo inſerviri debeat, & gloria DEI & Chriſtiana dilectio etiam a ſtudioſo Juris, Medicæ, aliarumque liberalium artium juſta ratione promoveri queat; cur illud privilegium Theologiæ cultoribus tantum indulgeatur? Commentum ſane id Canoniſtarum eſſe videtur, qui ex ſuo ingenio alios quoque judicaverunt, atque hac quoque ratione Clericos tantum gloriæ divinæ miniſtros habere voluerunt. *Num. X.* privilegium piæ cauſæ, illis donationibus tribuitur, quæ ad imaginem faciendam aut depingendam Chriſti aut alicujus ſancti deſtinantur. *Tiraquell.* & *Menoch. præſumpt. 115. l. 3.* infinita ferme autorum loca citat, quæ in idem conſentiunt; neque longe arceſſenda erit ipſorum ratio, ſi venerationem & δουλείαν, quam imaginibus tribuunt, conſideremus. Enimvero cum nobis e Jure divino & morali ſit perſvaſum, imagines nihil ad verum cultum ſanctiſſimi numinis conferre; mirum videri poſſit, nonnullos noſtratium quoque doctorum ſtatuere, legata ad imagines ſanctas conficiendas, extruenda mo-

numenta, comparandum ornatum ecclesiasticum, & ejusmodi alia, quæ splendorem externum tantum concernunt, juribus & privilegiis piarum causarum gaudere posse. Equidem ornatum templorum, & magnificentiam ædium sacrarum haut spernendam esse dixerim, nec eos, qui opibus abundant, peccare, qui ad comparanda ejusmodi ornamenta aliquid legant, asseruerim. Num vero talia gloriam DEI, æque ac eleemosynæ & elargitiones, quæ ad pauperum ministrorum ecclesiæ & Scholæ usus ac salaria legantur, promoveant, valde dubitem. Multo minus, quod supra *Num. X.* privilegium meretricibus favet, piis causis accensere velim. Ratio, quam *Tiraquellus*, *Menochius* & alii allegant, ut scilicet ad meliorem frugem illæ redeant, speciosa quidem; ast minus justa & certa esse videtur. Quando enim fingitur, meretricem a merendo dictam, per inopiam ad hoc sordidum & impurum vitæ genus redactam non indignam esse misericordia, non considerant carnalem voluptatem ad tam fœdum corporis prostitutionem meretrices sæpius magis incitare, quam quæstum, quæ novo accedente legato non restingvenda, sed maximam adhuc partem adaugenda foret. Accedit, quod legantes, dum post fata quoque, quanti eas fecerint, testimonium prostare cupiunt, famæ suæ noceant. Concesso etiam, quod testator publice profiteatur, se hac intentione legasse, ut pristinum vitæ genus exuat, dubium manet, testatoris voluntatem fuisse seriam & meretricem conditionem impleturam. *Pietas vero non stat in nomine pietatis, sed in substantia veritatis*, ait, *Tiraquellus* ex *Lapo alleg. 92.* Quæ curiose *Menochius l. III. præs. 115.*

circa

circa hunc casum monet, contemplationibus magis, quam communi praxi vitæ convenire autumo. Fingit enim tres potissimum casus, quorum primus est, *quando testator legavit meretrici vel concubinæ, qua cum ipse consuetudinem non habuit*, & hoc casu Baldi opinionem procedere statuit. Secundus est, *quando testator concubinæ suæ legavit, quæ tamen jam diu sua esse desiit*, atque idem, quod in primo, circa hunc definit, *quia omnis sinistra suspicio cesset.* Tertius est, *quando testator propriæ concubinæ legavit, quam tempore testamenti in domo retinebat.* Hoc casu *non* credit *legatum ex pietate relictum, sed ob blanditias & illicitum illum amorem, quo is eam prosequebatur.* Sed his contemplationibus meretriciis diutius immorari abstineo, cum fixum sit, meritricibus non deberi iniquitatis præmium.

VI.

Pergam igitur potius expositis illis rebus, quibus falso privilegia piarum causarum tribuunt Canonistæ, & imprimis illum morem reprobo, qui superioribus seculis apud Gallos invaluerat, ut qui testamento nihil curionibus aut collegiis ecclesiasticis legasset, honore sepulturæ careret: si quis autem inopinato casu obiisset, sacrificulus Pontificis jussu, mortui loco testamentum conderet, & quæ vellet Ecclesiæ arbitratu suo quasi testator legaret. *Bodin. l. V. c. 2. de Republ. Lansius in consult. de provinciis Europæ. p. 648.* Felicissima sane ratione hac in parte Caligulam imitati sunt, qui plurimos Senatores Romanos enecabat, & testamentum postea conficiebat, in quo ipse hæres ex asse scriberetur. Hunc morem, quamvis postea Curia

Parisiensis sustulerit, uti *Bodinus* l. c. affirmat; non tamen prorsus ab illicitis ejusmodi acquirendi modis, sacrificuli destiterunt. Monachi enim moribundos dolosis persvasionibus & minis quandoque compellabant, ut cœnobiis & Ecclesiis in testamentis certis prospiciant legatis. Quæ certe legata neutiquam jure valida esse debent; cum testator importunis sollicitationibus inductus fecerit. *l. 70. de hared. institut. ff. Hartm. Pistor. p. 1. qu. 29. n. 3.* Quæstio inde in nostra quoque Ecclesia orta, *num ministro Ecclesiæ liceat blanditiis legatum in favorem Ecclesiæ elicere*? Affirmat *Carpzovius in Jurisprudent. Consistor. def. 322.* quam sententiam tueri videtur argumento, quod ex rescripto supremi Consistorii de an. 1609. die 29. Novembr. depromit. Sane hanc vim probandi continere id non videtur; præsertim si circumstantiæ Rescripti laudati attendantur; quæ casum allegatum prudenter restringunt, ut ad alios casus promiscue adplicari non possit. Pergit vero ulterius *Carpzovius* l. c. *Blando siquidem sermone omnino licet invitare testatorem, ut hæredem aliquem instituat, vel legatum saltem alicui adsignet, atque relinquat, nec exinde dispositio redditur vitiosa.* Ast statim dubium Jus Romanum ipsi concitat, quod legatum dolosis persvasionibus elicitum nullum declarat. *l. ult. ff. siquis aliquid testar. probib.* Dubius hinc hæret, unde dijudicandum, num blanditiis, num vero dolosis persvasionibus testator fuerit inductus. Blanditiæ sane, quibus morientem sollicitamus, raro a pia fraude differunt; & si quandoque differant, nunquam tamen a judice, piæ causæ, ob privilegia semel introducta, quæ in dubio pro piis causis quoque pronunciare jubent, faven-

te

te rite diſcerni poſſent. Hinc illud timendum foret incommodum, omne legatum in fraudem heredum ab inteſtato ſive blanditiis, ſive doloſis perſvaſionibus a paſtore elicitum, validum futurum; cum in dubio favor Eccleſiæ attendi debeat. Cavendum utique eſt, ne miniſtri eccleſiæ impudentes hac ratione morituris *ſatisfactionem compenſatoriam*, quam ſacrificuli ſtatuunt, tacite perſvadeant. Merito igitur cum *Excell. Titio* noſtro *Syſtem. l. IX. c. 17. n. 13.* exiſtimem; *cavendum primo eſſe, ne blanditiæ in fraudem degenerent, & ſecundo cordatis hominibus* (quales Paſtores eſſe debent) *rationes potius, quam ineptias illas convenire.*

VII.

Ad privilegia, quibus circa legata piæ cauſæ munitæ ſunt, tranſeundum, quæ optima ratione πλεονεξίων cleri Pontificii, qui eadem invenit, exprimunt. Circa hæc in genere monendum erit, me non differentias ſingulas, quæ inter *Jus Canonicum*, & *Civile* occurrunt, & per quas piæ cauſæ ſunt privilegiatæ, obſervaturum; ſed illas tantum, quæ juſtitiæ univerſali & veræ pietati repugnant. Sunt enim nonnulla privilegia, quæ etſi a Juris Civilis contraria obſervantia, pias cauſas liberent; non tamen jure naturæ contraria eſſe dixerim. Circa illa enim præcipue, ſi veris piis uſibus impendantur, ſummus imperans, cum ipſe leges civiles condiderit, absque nota iniquitatis diſpenſare poterit. Sic *l. 32. pr. ff. de hæred. inſtit.* in arbitrium tertii hæredis inſtitutio non conferri poteſt: quod tamen circa pias cauſas mutatum; ita, ut teſtator non ſolum in arbitrium alterius conferre poſſit diſpo-

dispositionem piæ causæ; *Molin. d. 134. in fin. & d. 147. n. 8.* verum etiam hæredis institutio pietatis causa, nutu fieri possit. *Tiraquell. priv. 8.* Hic actus cum jure naturæ sit validus, & sufficiat ultimæ voluntatis declaratio & probatio; circa solennitates & speciales Juris Civilis constitutiones optimo jure summus Imperans dispensabit, neque circa ejusmodi privilegia aliqua impietatis nota erit observanda. Quæ autem ita fuerint comparata, ut vel fraus Clericorum eadem extorserit, vel observantia illorum specialem hominum vitam bene ordinatam disturbet, illa demum atro notari lapillo merentur.

VIII.

Solemnitates, quæ circa confectionem testamenti Jure Civili observandæ veniunt, si testamentum pietatis titulo gaudeat, remittuntur; & cum in alio septenarius testium numerus requiratur, in testamento pio, duo sufficiunt per *c. Relatum. 11. X. de testam.* Admitti sane hoc privilegium poterit, cum solennitates observandæ magis sint Civilis, quam naturalis juris, & in quovis alio testamento circa testium numerum princeps dispensare posset, cum septenarius numerus nihil ad essentiam testamenti conferat. Attamen alia circumstantia in hoc privilegio examinanda erit. Statuit *Covarruvias in n. 2. ad c. Relatum. 11. X. de testam.* & *Molina d. 134. n. 1.* testamentum ad piam causam factum coram duobus testibus validum; si pia causa hæres sit instituta, & legata aliis relicta. Si vero alius institutus hæres sit, & Ecclesiæ relicta legata, institutionem coram duobus testibus invalidam, legata utique

valida futura. Exemplum hic insigne videas artis rabulisticæ, quæ unum idemque testamentum ex parte validum & ex parte invalidum efficit. Si enim de seria aut vera voluntate disponentis controversia moveri posset; cur legatum Ecclesiæ relictum valeat, non video rationem decidendi. Sin vero seria dispositio ad pias causas non in dubium vocanda; cur hæres institutus hæreditate sit privandus, & in uno eodemque actu quædam valida, quædam invalida sint, naturali jure iniquum videtur. Huc pertinet illud quoque privilegium, quod cum filiusfamilias jure civili non possit condere testamentum, ne consentiente quidem patre, *pr. institut. quibus non est permissum fac. test. l. 6. ff. tit. eod.* tamen de Jure Canonico piæ causæ legatum relinquat consentiente patre *Jul. Clar. l. III. recept. sentent. §. testament. qu. 5. n. 7. Didadcus Spino a Caceres in specul. testam. glos. rubric. p. 4. n. 11.* reliqua tamen, quæ testamento continentur, pro non adjectis habeantur, & nihil valeant, *Anton. Faber Cod. l. 1. t. 2. defin. 40.* in qua dispositione iterum quædam valida, quædam invalida, prout Canonistis commodum & proficuum visum fuit.

IX.

Num detractio Quartæ Falcidiæ in testamento ad pias causas facto locum inveniat, & hæres institutus legata integra præstare debeat, *Nov. 131. c. 12. Auth. similiter C. ad l. Falcid.* non eadem inter doctores stat sententia. *Reusnerus* enim *de testam. p. 4. c. 12.* & *Huberus ad l. 3. ad L. Falcid. n. ult.* affirmant, plurimi alii autem, ut *Giphanius ad l. 7. C. ad leg. Falcid. Perez. ad C.*

E *dict.*

dict. tit. tantum ad eum casum restringunt; si hæres in solvendis legatis piis moras nectat, vel alia tergiversatione usus sit. Tutiorem inde eligere viam testatorem, si *Falcidiæ detractionem specialiter inhibeat*, *Excell. Stryk. diss. de testam. privileg. in fin. statuit*, *quo scilicet fiet*, *ut hæres piæ causæ nullum amplius possit movere controversiam.*

X.

Cum detractio Falcidiæ hæredibus sit, quod liberis legitima, & quandoque liberis quoque circa legitimam a piis causis moveatur controversia, insignis hic erit quæstio ventilanda: *num scilicet major sit favor liberorum*, *quam piarum causarum. Mantica* enim *de conject. ult. voluntat. l. V. t. 15. num. 35. Tiraquell. ad l. si unquam verb. libertis num. 83.* & in verb. *Donatione largitus n. 326. C. de revocand. donat.* majorem favorem piæ causæ asserit, quam filiationis, cum favorabilior sit DEUS, quam liberi. Sed hanc ex scitis Judæorum haustam opinionem jam olim Christus refutavit, *Matth. XV. v. 4.* & *Marc. VII. v. 11. seqv.* cum vota DEO a Judæis facta ob parem ferme rationem improbaret. Erat scilicet moris penes Judæos, qui vim legis induerat; *ut filius parenti reverentiam exhiberet*, *non sedens in loco patris*, *non loquens in loco ejus*, *non verbis ejus contradicens*, *præbens alimenta & vestimenta*, *calceos induens*, *introducens & educans*, quæ verba ex *Salomone Jarchio*, *Seldenus in Jur. N. & G. Ebræorum l. VII. c. 2.* producit. Hunc parentibus exhibendum honorem, vel opera vel donationibus, quidam Judæorum, vel superstitione vel malitia exagitati, negabant, & per vocem *Corban*, omnem utilita-

litatem parentibus a liberis proventuram DEO consecrabant. Quo facto omne illud, quod ante votum parentibus ex præcepto præstandum erat, post votum, Numini sacrum habebatur, eique tantum, sive in opera ac ministeriis, sive in oblationibus, quantum Parentum, de quibus votum erat conceptum, existimationem æquaret, præstandum veniebat. Hunc morem consecrandi rem DEO, quæ parentibus erat tribuenda, Christus ipse improbat, neque hac ratione cultum divinum rite exerceri docet. Cum itaque Parentum & liberorum mutua sint officia, & Parentibus a liberis honor & reverentia, liberis autem a Parentibus alimenta & bonorum post fata concessio, non obstantibus gravissimis causis, sit concedenda, effatum Christi, qui *traditionem contra verbum DEI*, hanc consecrationem receptam appellat, ad hunc quoque casum applicare licebit. DEI enim gloriam promoveri, si liberis, quæ jure naturali debetur, *στοργὴ* adimatur, & piis causis tribuatur, quis crediderit? cum ipse opibus morientium non indigeat, & gratior ipsi sit contritus spiritus, quam multa millia victimarum & oblationum. Excipiant hic doctores, non quidem DEO, attamen personis DEO percharis, pauperibus scilicet, illa tribui; verum duplici illis ratione responderi poterit. *Primo* enim *loco* hocce opus charitativum regulæ ordinatæ charitatis respondere debet; quæ hæc est; *charitas incipit a seipsa*. Jam si parens & filius habentur pro una persona, & liberi *propria parentum caro sint;* charitas, quæ se per oblationes & beneficia exerit, a probis liberis incipiet, & ante omnia illis erit consulendum. His salvo jure, si vere piæ sint,

causæ piæ & pauperes succedant; cum Christus proximi, sub quo titulo omnem egenum & opis indigentem intelligit, dilectionem ad exemplar propriæ dilectionis, quæ antecedere debet, instituendam pronunciet. *Secundo* quoque monendum erit, tales oblationes ex invidia aut alio malo adfectu ortas, quales olim Judæorum erant, neutiquam DEO gratas; sed illas tantum, quæ ex sincero cordis affectu erga DEUM proveniunt. Tales autem oblationes, quæ in fraudem liberorum mortis causa fiunt, plerumque vel ex ambitione vel ex invidia provenisse, supra *Sect. I. §. IX.* & *Sect. II. §. IV.* jam demonstravi. Si enim sincerum suum affectum testator pauperibus declarare voluisset, piam voluntatem integra adhuc corporis constitutione, per eleemosynas exhibere potuisset. Quæ cum ita sint; num præposterum hocce DEO placendi studium, DEO gratum, JCtis vero æquum videri possit, ut liberis quoque prærogativam naturalis στοργῆς denegare queant, Pharisæi & cum illis *Tiraquellus*, videant. Sic jure naturæ quoque major liberis, quam piis causis erit favor concedendus; cum liberi ab intestato succedant, & parentum personas repræsentent. *V. Ludwell. de ultim. Volunt. p. 349.*

XI.

His inventis artibus cum optime sibi prospexerint clerici, ut bona morientium variis excogitatis privilegiis, piis causis vendicarent, de *executoribus* quoque *testamentorum*, *testibus* & *judicibus* in propria causa solliciti fuerunt. Concedunt enim, ut executores, quos testator specialiter constituit, vel hæredes ordinarii, jussu defun-

functi exequantur, *Menoch. l. IV. præsumpt. 125. num. 3.* Si vero tardiores fuerint in exequendo, nec intra VI. menses exsolvant, aut in solvendo dissentiant, Episcopum, arbitrum aut executorem constituunt. *c. 17. X. de testam. Nov. 131. c. 12. & c. 3. X. h. t.* Eorum quoque, quæ ad redemptionem captivorum relicta, executor est Episcopus *l. 28. §. 1. & Authent. seqv. C. de Episc. & Cler.* licet testator prohibuerit Episcopo executionem, *Molin. d. 247. n. 4.* Notandum quoque, quamvis Jure Communi nemo in sua causa possit esse testis, *l. nullus 10. ff. de testib.* attamen Jure Canonico in causis Ecclesiarum, ipsi Prælati & Clerici, testes esse possunt, si per alium causam agunt, *c. 6. X. de testibus.* Distingvunt quidem doctores, an utilitas negotii obveniat singulis singulariter in Collegio; an vero toti Collegio principaliter, & non singulis, *Carpz. l. 3. resp. 93. n. 3.* ast videtur omnino *aliquid singulare esse in Clericis* per tradita *Mascardi de Probat. conclus. 306. n. 4.* Nam Clerici non repellendi a testimonio 1) *ob personæ præcellentiam & fidem* 2) *nullum metuendum perjurium, in causa principaliter ad ecclesiam, nec non successores in officio, non ad hæredes pertinente,* 3) *non potest facile dari casus, ubi causa & interesse Ecclesiæ, ab interesse Clericorum sit separatum.* Judicem denique in causis testamentariis Episcopum quoque constituunt, quod dispositio ultimæ voluntatis sit misti fori, & Episcopo jurisdictio in Laicos quoque competat, *Tiraquell. pr. 149.* Secularem tamen judicem ex gratia quasi admittunt, sub hac lege; ut secundum præscripta canonum judicet, ex quibus decisio piarum causarum dependet, *Andr. a Matre DEI, Theol. Moral. Tr. 14. c. 15. punct. 12. n. 266.* Apud nos vero cum jura episcopalia

ſuperioritati territoriali ſint reſtituta, Principes pro lubitu vel per Conſiſtoria, vel per officiales ſuos, ſeu advocatos fiſci ultimarum voluntatum executionem urgere poterunt. Nec penitus erunt prohibendi Inſpectores vel Superintendentes, quo melius executionem monendo urgere, & ſi nihil profecerint, rem conſiſtorio Eccleſiaſtico denunciare poſſint. Hæc adminiſtratio juris, ubi ſcilicet Clerici in propria cauſa executores, teſtes & judices ſunt conſtituti, quam maxime illis per multa ſecula proficua fuit. Iniquum vero videtur, quod Epiſcopo, prohibente quoque teſtatore, executio teſtamenti concedi poſſit; cum tamen ipſi contraria voluntas teſtatoris, quam in favorabilibus agnoſcit, obſtet. Quod autem teſtimonia Clericorum in propriâ cauſa ferenda attinet, *Maſcardi*, quas allegavi, rationes ſpecioſæ quidem videntur; ſed firmi roboris eſſe haud putem. *Prima* enim, quam ex perſonæ præcellentia colligit, infirma eſt. In communi quidem vitæ commercio dignitatem & exiſtimationem illorum agnoſcimus; neutiquam in judicio, ubi nullum debet eſſe perſonarum diſcrimen. *Altera* ratio, quæ ex ſanctimonia ordinis Clerici deſumta optima quidem eſſet, ſi obſervaretur; aſt vero, cum infinita fere in hiſtoria Pontificum & Epiſcoporum exempla contrarium demonſtrent, admodum ſuſpecta illorum fides facta eſt. Quam *ultimo loco* rationem urget, magis ipſius ſententiam evertere, quam corroborare videtur. Si enim intereſſe Eccleſiæ rariſſime ab intereſſe ſingulari Clericorum eſt ſeparatum; magis ad delinquendum & falſum teſtimonium Clericos ob lucrum inde ſperandum invitabit. Nam ab avaritia & πλεο-

νεξίᾳ

νεξία Clericos non esse immunes, quis est, qui ignoret? Hinc si ab executione contra voluntatem testantis, & a testimonio in propria causa sunt removendi; potestas judicandi in legatis ad pias causas ipsis neutiquam erit concedenda. Ut enim taceam, causam testamentariam non esse misti fori; cum actor forum rei sequi debeat, nec jurisdictionem in laicos Episcopis jure divino tribuendam esse; Galli multis abhinc seculis hunc errorem agnovere, atque regiis procuratoribus spartam compellendi executores vel exequendi obtulere; ita, ut seculares tantum i. e. Regii judices de hujusmodi controversiis apud illos cognoscant. *v. Mornac. ad l. 28. nulli C. de Episc. & Cler.*

XII.

Sed cum duplex donationum modus extet, vel per testamenta & legata, vel etiam inter vivos, circa ultimum quoque varia privilegia excogitavere. Sic quamvis omnia bona præsentia & futura donari non possint, & *l. 35. §. 4. C. de donat.* quæ donationem omnium bonorum concedit, *per l. 19. §. 1. ff. de re judicata*, ut scilicet donatori sit prospiciendum, ne egeat, sit explicanda; valida tamen erit donatio omnium bonorum Ecclesiæ vel pio loco facta, *per l. jubemus nulli 14. pr. ibi: aut certe inter viventes. C. de SS. Eccles. Tiraquell. priv. 100.* quia non sit contra bonos mores juris gentium, & ratio, ne auferatur jus testandi, tantum ad Juris civilis dispositionem pertineat. *Carpz. P. 2. C. 12. d. 26. n. 10.* Neganda tamen erit ratio, quam proferunt, quod scilicet non sit contra bonos mores juris gentium, & juri naturali non repugnet. Quodsi enim

enim Turcæ *Osmanni* Imperatoris ſtoliditatem & inſaniam exinde prudentes judicaverint, quod imperium Turcicum & gazam *Rudolpho II.* Romanorum Imperatori offerret; ſane veſaniæ hominis privati proximum erit; ſi bona futura & præſentia omnia per donationem in alium conferat. Agnovit idem quondam Siracides, & omnino contra bonos mores eſſe judicat, ſi quis bona ſua filio, aut uxori, aut fratri aut amico, aut cuicunque demum ſit homini tradat. *c. XXXIII. v. 22.* Quare in Jure Civili, ob metum prodigalitatis, quæ ſub donatione latere poſſet, *l. 34. & 36. §. 3. C. de donat.* inſinuatio judicialis requiritur, ſi donatio quingentos ſolidos excedat; & Jure Saxonico facultatem donandi leges usque ad 500. ſolidos i. e. mille thaleros gravioris monetæ reſtrinxerunt. *Carpz. p. 2. C. 12. d. 12. Wehnerus in Obſerv. Pract. voc.* Gold-Gülden. Cum ergo Jus Civile profuſionem bonorum in exceſſu donationum timeat; nos certe ſuperſtitionem in donatione omnium bonorum ad pias cauſas ſubſtituamus, atque perſonam donantis, priusquam donationem adprobemus, probe conſideremus. Cum enim donatio, ſemel Eccleſiæ facta, non adeo facili negotio reſcindi poſſit, judex rationes, quæ animum ad donationes addidere, rite examinet, neque quod ex perturbatæ mentis operatione proficiſcitur, pietati tribuat. Quodſi enim tempore donationis cœlebs aut aliquot tantum liberorum parens exiſtat; plures autem poſtea liberi ipſi ex matrimonio contingant, quod tamen in aliis donationibus permiſſum, ob ſupervenientiam liberorum donationem neutiquam revocare poterit. *Tiraquell. priv. 118. & Menoch. l. IV. præſumpt. 189. n. 136.*

n. 136. atque ita non solum sibi, verum etiam liberis per inconsultam donationem pessime prospiciet. Statuit quoque *Tiraquellus priv. 101.* quod, etsi omnis alia donatio stricte sit intelligenda; contrarium tamen in donationibus Ecclesiæ factis sit asserendum. In hoc casu, cum præcipue intentio donatoris sit respicienda, & ipsius voluntati sit satis faciendum, quo jure objectum, quod est pia causa, etiam contra rationes dubitandi, voluntatem donatoris latiorem in favorabilibus efficere possit, non video. Cum enim omnis donatio ex singulari donatoris gratia ita profecta censeatur, ut etiam salvo jure eadem omitti posse credatur; benevolentia donantis non erit abutendum, sed stricte erit interpretanda. Quæ stricta interpretatio, cum in aliis casibus a JCtis admittatur, non putarim, pias causas aliis donatariis esse impudentiores. Excipiunt hic, quod semper in favorem piæ causæ benignior sit interpretatio admittenda, &, si circa controversias pias causas concernentes diversæ sint doctorum sententiæ, illa, quæ piæ causæ adversatur, non sit attendenda, etiamsi esset communis, sed arripienda sententia Ecclesiæ favens. *Alexander Tartagna l. 6. Consil. 204. n. 12.* Verum hæc ratio est petitio principii ex jure Pontificio desumta. Quamvis enim proverbium, *multitudo errantium non parit errori patrocinium*, huc quoque adplicari possit, quod communis doctorum sententia non magis quandoque æquitati respondeat, quam singularis quorundam; non tamen ideo sequitur, in favorem piæ causæ communem sententiam, si adversetur piis causis, semper esse rejiciendam. Credo sane illam reprobandam, quæ justitiæ causæ, ex circum-

F stan-

ſtantiis moralibus judicandæ, contraria; & cum nulla tam abſurda ſit opinio, quæ ſuos defenſores non inveniat, illud inde incommodum eſſet timendum; quod ſemper quidam vel ſuperſtitione vel imbecillitate judicii decepti, partes piarum cauſarum contra optimas juris rationes haud infeliciter ſint acturi.

XIII.

Decimæ, cum jam per legem Moſaicam Clericis tanquam pars ſalarii ſint conſtitutæ, in eccleſia quoque noſtra merito locum habent. Non tamen earum penes noſtrates tantus eſt favor, quantus apud Pontificios, qui nec Imperatorem quidem privilegium ſuper non ſolvendis decimis condere poſſe ſtatuunt. Ita enim *c. tua & infra X. de decim. & oblat. Porro cum laicis nulla ſit de ſpiritualibus concedendi vel diſponendi facultas, imperialis conceſſio quantumcunque generaliter fiat, neminem poteſt a ſolutione decimarum eximere, quæ divina conſtitutione debentur.* Sed falſum eſt hoc dogma, & in majeſtatem Principum injurium. Nam licet pietatem decimis non negemus; privilegia tamen circa illas publicanda, non ad internam Eccleſiæ poteſtatem pertinent; ſed ad externam, quam Imperatori & Regibus denegare, juri divino & naturæ repugnare *H. Grotius* libro de *imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra* ſolide demonſtravit. Competit enim iis cura circa ſacra, ex poteſtate circa eccleſiaſtica externa Principi cuique ſummo, vi ipſa majeſtatis, qua pollet, & qua princeps eſt, & quidem jure gentium, abſtracta qualitate religionis ſeu cultus, *Ziegl. Diſſ. V. de Jurisd. Majeſtat.*

Hinc

Hinc regum Galliæ inſtitutum laudandum, qui, ſi decimarum petitio fiat ab Epiſcopis, vel ceteris Clericis adverſus prædiorum dominos, quarum ſolutio inſveta eſt in iis locis, unde exiguntur, non alienum exiſtimant a munere ſuo huic negotio autoritatem ſuam interponere, illas exactiones inſolitas impedire, excommunicationum, ſi quæ ab Epiſcopis in recuſantes latæ ſunt, revocationem indicere, eamque pignoribus captis urgere. *Petr. de Marca de Concord. Sacerdot. & Imperii l. IV. c. 10. n. 2.* idem de Hiſpaniæ regibus refert *Didac. Covarruvias l. 1. reſol. 17. n. 8. v. 9.*

XIV.

Quas hactenus Clericorum technas circa acquirendas opes in uſum piarum cauſarum deprehendimus, ſub titulo legatorum, donationum & decimarum latuerunt. Nunc ut illas quoque, quibus in privilegiis circa contractus ſibi proſpexerunt, inveſtigemus, inſtituti ratio poſtulat. Circa hæc privilegia in contractibus civilibus occurrentia, ut quædam generaliter præmoneam, a ſcopo meo alienum haud fuerit; cum per illa civibus reipublicæ noceatur. Contractus enim ad vinculum in vita ſociali conſervandam maxime ſpectant, & in illis bona fide ſine diſcrimine perſonarum agendum eſt. At vero ubi dolo malo quid in favorem Cleri elicitum eſt, in præjudicium contrahentium tendit, & iniquitatis ac inpietatis nota laborat. Nam ſi *contractus eſt conventio per ſe & ſua natura producens obligationem & actionem l. 7. §. 1. & 2. ff. de Pact. conventio autem duorum vel plurium in idem placitum conſenſus l. 1. §. 2. ff. de Pact.* ex definitione apparet, quod il-

lud, de quo inter duos bona fide eſt tranſactum de rebus & actionibus in commercium venientibus, & quæ dominia & pretia rerum præſupponunt, ab utroque exacte ſit obſervandum; adeo, ut neuter ſe obligationi aut actioni ſubducere poſſit. Itaque ſi Clerus vel Eccleſia lucrum capere velit ex rebus, quæ ſunt in commercio, ipſi quoque ſit ſtandum in illis contractibus, qui bona fide, absque dolo alterius & enormi læſione ſunt conſummati. Opponunt quidem hic doctores, quod res eccleſiæ poſſint quidem meliorari, aſt non deteriorari exemplo minorum *c. 1. X. de in integr. reſtitut. l. 32. pr. C. de Epiſc. & Cler. Tiraqu. priv. 142. Carpz. l. 2. Jurispr. Conſiſt. d. 300. n. 12. & ſeqv.* Sed quomodo hoc præſuppoſito contractus cum eccleſia aut piis cauſis tuto iniri poſſint, non video; cum ſemper metuendum ſit, eccleſiam minorennitatis jure gaudentem minorennes quoque habere antiſtites, quorum negligentia, quandoque & iniquitas hac ratione in acquirendis bonis felicior foret, quam exquiſitiſſima aliorum bona fides & ſolertia, quod ſane juſtitiæ, quæ æqualitatem ſervat, repugnaret.

XV.

E caſibus ſpecialibus ulterius idem probari poteſt, & exempla nonnulla reſtitutionis ſuppeditabimus, in quibus minorum quoque juribus piæ cauſæ æquiparantur. Si Eccleſia res ſuas minori pretio locet, propter læſionem etiam non enormem reſtitui poteſt, & ſufficit, quod alius plus dare velit, licet antea res eccleſiæ non pluris fuerit elocata. *Ceſ. de Graſſis Deciſ. Rot. Roman. 135. num. 18. ſeqv.*

seqv. Hæc decisio Ecclesiam ad contractum locationis ineundum reddit incapacem. Cum enim locatio prædiorum plerumque non ad dies aut menses restringatur, sed ad aliquot annos; & conductori lucrum pro laboribus impensis sæpe tardius contingat, conductor sane hoc privilegio fraudari posset, si alius prædium, quod ipsius opera & industria omni apparatu instructum esset, majori oblato pretio, nondum finito tempore contractus administrandum ipsi eriperet. Eadem quoque iniquitatis labe laborare mihi videtur, quod falsa opinione solutum, pietatis causa tanquam indebitum repeti non possit, *Tiraquell. priv. 119.* quod tamen *Mart. de Jurisdict. P. IV. Cent. 2. Cas. 170. num. 1.* ita limitat, *nisi solvens ex tali solutione ad incitas* reducatur, & fundatum hoc existimat in *l. 32. §. pen. ff. de condict. indeb.* ubi dos indebite data non repetitur, cum qua piam causam & hoc casu confert *Menoch. l. 2. Arbit. quæst. c. 88. n. 36.* Ast cum varia adhuc de dote indebite data & repetenda adjici hic possent; hoc saltem monebo, disparitatem negotii consequentiam a dote ad piam causam, hoc casu non concedere. Quæ enim dotis loco liberis etiam indebite tribuimus, eo libentius ipsis erunt relinquenda, cum post obitum ab intestato in bonis nostris succedant; nec adeo facile præsumendum sit, quod parentes per dotem indebite solutam ad incitas sint venturi. Redit ergo in hac quæstione cardo controversiæ eo; num scilicet major liberorum, quam piæ causæ, aut saltem æqualis sit attendendus favor? id quod negamus. Circa emtionem singulare sibi privilegium arrogat ecclesia; nempe, quod vicinum ad vendendum compellere possit.

 Mar.

Mar. Giurba Dec. 86. num. 3. seqv. si hoc scilicet tendat ad ampliandam ecclesiam *Molin. Tr 2. Disp. 341.* At vero cum quilibet rerum suarum sit liberrimus dominus & arbiter, & in V. testamento factum Achabi, qui Nabothem ad vendendam vineam cogere volebat, minime DEO fuerit probatum; num patribus Ecclesiæ privilegium hac in parte majus competat, valde dubitem. Iniquus sane hic modus acquirendi est, qui Clericis amplius dominium exercendi occasionem in præjudicium aliorum civium permittit, eoque æqualitatem Juris turbat aut tollit.

XVI.

Cum *eleemosynæ* ad sustentationem pauperum ordinatæ primarium qvendam locum inter pias causas sibi vendicent, modum exigendi illas, quem jure Episcopo tribuit, *Petrus Rebuffius de privil. Scholar. priv. 90.* naturæ illarum adversari, ac adeo hac ratione impium esse, putarim. Nam in eleemosynis, quæ boni operis titulo gaudent, præcipue intentio dantis spontanea respicienda, nec ulla actio, quamvis alias bona sit, vi tamen extorta, moraliter bona censeri potest. *Rebuffii* ergo sententia adprobari non poterit, qui pauperes tempore penuriæ Episcopi officium implorare posse, statuit; ut divites vi compellat ad erogandas eleemosynas. Equidem in gratiam pauperum Episcopi curare debent, ne mercatores res necessarias vitæ nimis care vendant *per l. 1. C. de Episc. audient.* quanquam, si ad modernum statum hæc applicemus, hæc cura circa pretia rerum constituenda, sit magistratus *v. Camill. Borellum de Magistr. Civit. l. 3. c. 14. n. 117.* Utut tamen se res ha-

habeat, non exinde probari poteſt, quod epiſcopus vi adhibita opulentiores ad eleemoſynas compellere queat. Prodeſſet alias paupertas, & nocerent divitiæ, *a quo tamen prodeſſe, nos liberet omnipotens DEUS*, inquit *Cynus* ad *l. id quod pauperibus C. de epiſcop. & cler.* Aliis itaque modis Epiſcopus egenis proſpicere debet, vel ex ærario Eccleſiæ, vel collectis ordinarie inſtitutis. Liberalitas enim, ad quam eleemoſynæ ſpectant, hac in parte non habet legem coactivam.

XVII.

Alia huc pertinens movetur quæſtio; *an ſcilicet deprecationes publicæ in mulctam pecuniariam ad pios uſus converti queant?* in qua determinanda diverſas partes doctores ſuſtinent. *Brunnemannus in Jur. Eccl. l. I. c. VI. m. 4. §. XI. & l. II. c. XIX. §. 26.* fieri id poſſe negat; cum ſubtilem ſimoniam in redimenda deprecatione latere, exiſtimet. Ideo *Carpzov.* diſſentientem refutat, qui contrarium *in Juriſpr. Conſiſtor. l. III. d. 86. & ſeqq.* aſſerit. Argumenta itaque *Carpzovii*, cum caſus hic ſæpius contingat, qua licebit, brevitate exponam, & quod in illis *Brunnemanno* improbatum fuerit, commemorabo. *Primum* ex ſanctione *Electorali de an. 1624.* deſumtum, & in Electoratu Saxoniæ ad commutationem deprecationis in mulctam utique validum. *Secundum* eſt, quod, cum deprecatio pœna ſit, in aliam quoque poſſit pœnam converti: id quod *tertio* illuſtrat, quod omnes ferme pœnæ hodie in arbitrio judicis poſitæ ſint. *Quarto* denique monet, quod ex circumſtantiis delicti gravior vel levior mulcta poſſit imponi. Hæc quatuor argumenta commode ad duo re-

duci

duci poterunt, cum par ultimorum ad illuſtrationem ſecundi tantum, non ad probationem theſeos facere videatur. *Primum* illos ſine dubio valide obligabit, qui cives Electoris Saxoniæ ſunt, nec idem in dubium vocare audet *Brunnemannus* : *Alterum* autem eo vehementius impugnat, *quod deprecatio non ſit pœna, ſed reconciliatio ; item quod deprecatio reconciliet mentes, mulcta vindicet crimen, qua ratione divites ſe ſemper liberare poſſent a deprecatione publica.* Aſt pace *Viri magni Brunnemanni* dixerim, deprecationem utique eſſe pœnam; reconciliationem autem effectum deprecationis, non ipſam deprecationem. Cum ergo idem effectus, reconciliatio ſcilicet, quam magnopere urget, etiam per mulctam obtineri poſſit, & mulcta omnibus, quibus delictum notum, etiam innoteſcat, quis dubitet per mulctam quoque removeri & expiari ſcandalum, Hoc præſuppoſito, quod deprecatio nulla ſit pœna, argumentum *Brunnemanni* de ſubtili latente ſimonia corruit. Cum enim ſimonia ſit rei ſpiritualis, vel ſpiritualibus annexæ, cum aliquo temporali facta commutatio, *Lancelot. Inſtitut. Jur. Canon. l. IV. T.3. §.1.* pœna deprecationis aut eſt rei ſpirituali annexa, aut non eſt: Quodſi non eſt, quod probabilius videtur, nec definitioni quidem Simoniæ commutatio in mulctam reſpondebit; Quodſi autem eſt, eodem modo, quo pœna hæc rei ſpirituali eſt annexa, mulcta quoque erit annexa, & cum ad pios uſus impendatur, vitium temporalitatis originale, ut ita loquar, exuet, & in rem ſemiſpiritualem mutabitur. Circumſtantiæ tamen facti probe erunt examinandæ, & ſi illas judex ſummus tales cognoverit, ut de commutatione in mul-

ctam

ctam ipſe dubitet, ex arbitrio ipſius pendebit, num deprecationem publicam, num vero mulctam reo velit injungere. Hic ergo modus acquirendi & pias cauſas adaugendi, quamvis *Brunnemanno* impius viſus ſit, nobis haud idem videtur. Sed major iniquitas in adminiſtratione bonorum & piarum cauſarum adhuc evolvenda, quam ſequente ſectione pandere jam paro.

SECTIO III.
DE EO,
QUOD IMPIUM IN PIARUM CAUSARUM ADMINISTRATIONE DEPREHENDITUR.

I.

R*Eligionem peperiſſe divitias, & filiam devoraſſe matrem, Bernhardum* jam olim conqueſtum, *David Chytræus* teſtis eſt. Cum hoc *Gerſon* quoque *Tom. VII. opp. Sect. 2. ſup. Marc. in fin.* iisdem pene verbis conſpirat, *quod divitiarum magnitudo generaverit vermem pesſimum, qui ſit ſuperbia, & voluptas effrenata, quæ tandem majeſtatem imperatoriam arrodere & loca gentesque imperio ſubditas depaſcere cœperit.* Hæ autem quibus artibus ſint partæ, *Sectione II.* breviter expoſui. Quibus vero in impietatem ſint verſæ, nunc ulterius diſſerendum venit. Ampliſſimum quidem hic ſtadium decurrendum foret, ſi ſingulos modos, atque omnes abuſus ſpecies notare vellem; at ſatis fortean in compendio dictum fuerit, illos, quibus ſeculo octavo vergente & inſequenti Carolingorum ævo ac poſtea bona

ex pio affectu Ecclesiæ donata administranda contigerunt, neque intentioni donantium, neque officio pietatis beneficiariorum satisfecisse. *Lehmannus* enim in *Chron. Spirens.* autor est, sub *Ludovico Pio Imperat.* Clericorum fastum & superbiam non pullulasse, sed jam adolevisse; ita, ut *Ludovicus* omnes Episcopos Aquisgranum ad corrigendos perversos Clericorum mores tam felici successu convocaverit, ut *autor Ludovici vitæ*, quem *anonymum* ex *Baronio* citat *Lehmannus* his verbis instituti rationem probet. *Tunc deponi cœperunt ab Episcopis & Clericis cingula baltheis aureis, & gemmeis cultris onerata, exquisitaque vestes, sed & calcaria talos onerentia relinqui. Monstro enim simile ducebatur, si Ecclesiastica familiæ deputatus conaretur adspirare ad secularis gloriæ ornamenta.* Sed ætas parentum adhuc tulit nequiores, & progeniem dedit vitiosiorem. Libri enim cordatorum virorum extant Pontificiorum, quibus de perversis Clericorum moribus ingemiscunt. *V. Nicolaum de Clemanges de corrupto ecclesiæ statu*, & librum cui titulus *Onus Ecclesiæ* an. 1519. excusum *c. 14. 15. 16. 19. 20. 21. 22. 23.* Aliquot igitur tantum modos impietatem redolentes in bonorum Ecclesiasticorum administratione attingam, cum gravissimus Theologus *Höpfnerus in Saxonia Evangelica*, & celeberrimus *Conringius in Diss. de Constitutione Episcop. German.* eosdem abunde probarint, & merito perstrinxerint.

II.

Primo loco allegari meretur, eorum in genere facta dispensatio a scopo fundationis manifesto aliena. Cum enim bona in usum pauperum & sustentationem mini-

miniſtrorum Eccleſiæ & Scholarum ordinata fuerint, hominibus poſtea otia & laſcivia diffluentibus obvenerunt, quas vel religioſus monachorum, vel ſplendidus *Canonicorum* titulus ab omni ſiniſtra impietatis nota liberabat. A *canone*, ſeu regula ſanctæ diſciplinæ, ad quam vivere & docere tenebantur, dictos fuiſſe ipſum nomen illorum origine græcum arguit, cujus inſtituti laudabilis inter Latinos Auguſtinus creditur: qui uti *Poſſidius in vit. Auguſtin. c.5.* memorat, *cum ſervis DEI vivere cœpit ſecundum modum & regulam ab Apoſtolis conſtitutam.* Hoc *Auguſtini* inſtitutum cum aliis quoque Epiſcopis probaretur, ſeculo inſequenti nono imperantibus ex ſtirpe Carolina, & decimo ex Henrici Aucupis gente Saxonum Ottonibus nulla ferme epiſcopalis cathedra conſtituebatur, quæ non adjunctum Canonicorum haberet collegium, quod ex *S. Auguſtini* regula viveret. In tali vero collegio bonæ literæ & S. Scripturæ capita ſeu capitula docebantur, & a fratribus, ut vocabantur, diſcebantur; licet jam Romanæ Eccleſiæ traditiones admixtæ forent. Fratres illi communem ſcholam, commune dormitorium, refectorium, lectorium, & alia habebant, *v. c. neceſſaria 12. qv. 1.* Canon in *ſynodo Moguntina* ſub *Carolo M. a. 813.* conditus habet, *ut Canonici canonice vivant, obſervantes divinam ſcripturam & doctrinam, & documenta ſanctorum Patrum, nihilque ſine ſcientia magiſtri vel Epiſcopi agere præſumant, & ut ſimul dormiant, & manducent, ubi facultas hoc faciendi ſuppetat, & in ſuo clauſtro maneant.* Poſteris autem temporibus hæc docendi ſparta non amplius Canonicis, ſed extraneo alicui mercede conducto impoſita fuit, uti patet ex *tit. X. de Magiſtris & ne aliquid exi-*

gatur pro licentia docendi, & ipsi Canonici regulæ & disciplinæ pertæsi, liberiorem auram vanitatum captare cœperunt; adeo, ut cum lætissimum & facillimum canendi horas officium aliquantisper adhuc retinerent, postea tamen in alios itidem conferrent, ut natum sit inde probrosum dicterium: *habemus, qui pro nobis cantent, utinam quoque haberemus, qui pro nobis descenderent in infernum.* Prolixus horum impietatis notam describere supersedeo, cum id *D. Himmelius tr. de Canonic. c. 6. & seqv.* multis argumentis & testimoniis demonstraverit, & *Chytræus in Chron. Sax. Cranzius in Metropol. l. 4. Erasmus in encom. Moriæ, Grotius in not. ad Cassandrum tit. de Canonic.* & plurimi alii infinitis fere locis istius instituti abusum a vero usu exposuerint. Increvit nempe ille abusus, cum Imperatorum Romanorum indulgentia secularis quoque jurisdictio episcopis concessa fuisset, & ipsi Principum dignitate cum conjuncta potestate gaudere cœpissent. Inde canonicorum autoritas aucta, quod præcipua membra episcopatuum censerentur, quippe qui Episcopum eligebant, ac reditibus amplis exprædiis & fundis sub præbendarum nomine constitutis, fruebantur. Olim quidem Canonicatus sine præbenda consistere potuerunt; postea tamen præbenda sine canonicatu esse haut poterat, uti ex definitione præbendæ ostendit *Zieglerus in not. ad Lancelot. l. 1. t. XXVI. §. 2.* Imo auctis prædiis & numero parochinorum, præbendas quoque augendas statuerunt, *V. Carpz. Jurispr. Consistor. l. 1. def. 99. M. Anton. de Dominis de Republ. Ecclesiast. l. IX. c. 1. n. 27.* ideo conqueritur his verbis: *Ecclesiastico viro olim finis fuit Evangelium, sustentatio vero Ecclesiastica medium, nunc finis noster*

noster est sustentatio ex bonis ecclesiasticis, medium vero officium ecclesiasticum. Dum vero magnum horum ecclesiæ bonorum abusum perstrinximus, eorum statum, qualis ante reformationem Lutheri fuit, respeximus. Abiit vero Canonicatuum illa pristina conditio apud Protestantes, quippe qui illa bona Ecclesiæ ad meliores usus vertere laborarunt, ut maximus eorum abusus emendaretur. *Conf.* huc *D. Himmelii Tract. de Canon. c. 9. & thes. de abusu DEO donator.*

III.

In Romana autem Ecclesia abusum bonorum ecclesiasticorum magnam partem adauxit episcopatuum multiplicatio, quod *Conring. Diss. de constitut. Episcop. Germ.* animadvertit & probavit. Inde est, quod non raro unus plurium episcopatuum titulis & bonis gaudeat. Quod, si veteris Ecclesiæ canones respicimus, iniquum & impium est. Horum tamen morem Canonici imitati, in diversis capitulis locum & reditus obtinuerunt; etsi neutrubi suo officio faciant satis. Quod, an pietatis & justitiæ regulis congruat, facile etiam parum religiosus judicare potest.

IV.

Manifestus ille abusus in quibusdam Protestantium ecclesiis quidem fuit emendatus; nescio tamen an asseverare liceat; omnes abusus hac in parte fuisse sublatos. Multi sane pietatis & justitiæ amantes viri de eo dubitant. Non dicam de defectibus ipsorum Canonicorum regulis veteris Christianæ disciplinæ repugnantibus; unam tantum vel alteram quæstionem

attingere, non abs re fuerit. Quæritur enim; *num canonicatus argento soluto emi posſint?* Negant hoc plurimi doctores, & in illis quoque *Carpzovius Jurispr. Consist. l. II. d. 312.* Hic cum fama nominis omnium ad instar ſit, argumenta ejus paucis per luſtrabo. Omnem controverſiæ cardinem in eo moveri *primo* autumat: *num venditio Canonicatuum ad Simoniam referri posſit, nec ne?* ubi cum ipſi Simoniæ definitio *vere ſpiritualia* tantum bona reſpiciens obſtare videatur, ipſe *Lutheri* autoritate motus a Simonia proprie & ſtricte ſic dicta talem emtionem liberam pronunciat. Ut ergo hinc ſuam ſententiam defendat, paulo obſcurius ita philoſophatur. *Quædam Simoniaca prohibita, ut Simoniaca, quædam Simoniaca, quia ſunt Simoniaca.* Sed hoc idem eſſet, ac ſi dicere vellem; quosdam homines ab aliis infames cenſeri *infamia facti*, ſive quod idem eſt, *ut infames*, quosdam vero *infamia juris*, vel, ut *Carpzovii* diſtinctione utar, *quia ſunt infames.* Jam quisque judicet; num JCto *infamia facti* quæ nempe ex errore populi oritur, vera infamia videatur? Neutiquam aſſeveraverim. Idem in Simonia dijudicanda hic applicari videtur. Illa, quæ *ut Simoniaca Carpzovius* prohibita aſſerit, & quo emtio canonicatuum quoque referenda, tanquam *Simoniaca facti* ex errore & ratione ſtatus ab *Urbano II. Gregorio*, & *Alexandro II.* judicata, quorum decretales & errores, cum venditio canonicatus non ſit *Simoniacum quid Juris*, ſive quod revera ad Simoniam ſpectet, neutiquam Proteſtantes obligare poterit. *Secundo* loco venditioni obſtare putat, quod Canonicatus dicantur *beneficia*, *beneficia* autem non poſſe dici res pecunia partas *l. 1. pr. ff. de*

de donat. Sed hoc ſubſtantiam Canonicatuum non evertit, an beneficia dicantur nec ne. Cum enim duplex canonicatuum reſpectus ſit habendus, illorum qui pretio certo venduntur, & eorum qui tanquam pars ſalarii doctoribus, & præmium dignioribus offeruntur, in priori caſu titulum *beneficii* ſalva Canonicatus ſubſtantia expirare; in poſteriori autem retineri poſſe, nemo negarit. Quas *tertio* & *quarto* loco adducit rationes; nempe eſſe contra legitimam vocationem ad beneficia Eccleſiaſtica percipienda, quæ per electionem non venditionem fieri debeat, concedo; ſi modo beneficia tendant ad officium præſtandum debitum: quale exemplum eſt ſeptem diaconorum, quarum liberam electionem ex *Act. VI. v. 5.* allegat. Idem obſervandum eſſe ſtatuo, ſi certi canonicatus doctoribus aut miniſtris Eccleſiæ, tanquam pars ſalarii, ſint asſignati. Si vero canonicatus in alias perſonas, qui nullo officio Eccleſiæ defunguntur, aut ſcholæ ac Reipublicæ utili, conferantur, præbendam, beneficium quidem ex Eccleſiæ bonis judicaverim, non vero eccleſiaſticum quid. Multos enim Canonicos reperias, qui nomen quidem Clericalis perſonæ ſuſtinent, munia vero Eccleſiæ nulla obeunt. Regulæ Canonicorum, quas in venditione negligi metuit *Carpzovius*, ut ſcilicet recipiendus honeſtos natales habeat, ſit juſtæ ætatis, ingenii boni, morum proborum, & animi ad labores apti vel neceſſariæ ſunt, vel minus neceſſariæ. Neceſſariæ, ut morum ſit proborum & ingenii boni, etiam in venditione obſervari debent & poſſunt, circa minus neceſſarias autem Princeps ſine injuſtitiæ nota in præjudicium quoque Canonicorum diſpenſare poterit.

V. De

V.

De bonis Canonicorum partis ſemel, tuendis etiam ſolliciti ſacrorum antiſtites fuerunt; ne ad laicos per teſtamenta fructus eorum tranſirent. Ideo obicem per *c. relatum. X. de teſtam.* poſuere; ne eorum hæredes ab inteſtato ſuccederent, generaliter itaque, uti ait *Lancel. l. 2. tit. 28. bona qualibet ob Eccleſiam acquiſita ſacerdotibus ſive mobilia, ſive immobilia, poſt illorum obitum debent apud eandem remanere, nec ſuper his ullum de jure teſtamentum fieri poterit.* Huic prohibitioni condendi teſtamenti, cum naturalis in conſangvineos affectus obſtare videatur, rigor temperatus per *c. relatum. §. licet X. de teſtam. conſvetudinis tamen eſt non improbatæ, ut de his pauperibus & religioſis locis, & his, qui viventi ſerviverint, ſive ſint conſangvinei, ſive extranei, aliqua juxta ſervitii meritum conferantur, non teſtamenti ratione, ſed eleemoſynæ duntaxat intuitu.* Legem autem hic in fraudem legis prioris introductam videas; cum non liceat teſtamentum condere, ſub ſpecie eleemoſynarum aliquid conſangvineo aut amico legare juxta ſervitii meritum, permiſſum. Aſt quomodo hæc conveniunt, eleemoſynam dari propter meritum, cum ἐλεημοσύνη ſtipem miſericordiæ cauſa datam tantum denotet, ut *Lactant. l. VI. inſtit. divin. c. 11.* miſericordiam, quam eleemoſynam dicere maluerit. Sane dubitaverim; num Pontificum & aliorum Clericorum in ſuos profuſiones, ſub eleemoſynarum nomine venire poſſint; cum illi, qui ex illuſtri familia natales ducunt, ejuſdem adhuc amplificandæ ſtudio agitentur; qui vero ex plebeja ſtirpe, eam ut extollant, &

in

in altiore ſede collocent, enixe allaborent. Exempla hic plurima *propriarum charitatum*, uti *Thuanus l. 100. de Sixto V.* agens easdem vocat, recenſere poſſem, ſi ſingulas quoque *impietates facti*, non *juris* demonſtrandas haberem.

VI.

Alia inde quæſtio illuſtris exſurgit; *ad quem reditus vacantis epiſcopatus, donec alius eligatur, ſpectent?* Hæc controverſia, cum *Jus Regaliæ* non multo abhinc tempore a Rege Galliæ, Pontifici negatum attingat; non abs re fuerit, *ſi Regaliæ jus*, quoad fruitionem bonorum eccleſiaſticorum vacantium, paucis quoque tangam atque exponam. Jus illud in tres potiſſimum diſtinctos actus ſe diffundit, 1) *in conſtitutionem perſonarum ſacrarum*, 2) *in collationem beneficiorum vacantium* & 3) *in perceptionem fructuum & proventuum ex bonis eccleſiaſticis, dum nova expectatur electio.* Priores *Regaliæ* partes cum ad jus Perſonarum, non vero rerum faciant, omitto, tertiam tantum contemplaturus. Verſatur in illa *ſingulare aliquod jus majeſtatis, per quod ſummus princeps Eccleſiæ bonis, mortuo Epiſcopo utitur, donec, qui in defuncti locum ſuffectus eſt, præſtiterit juramentum fidelitatis.* Originem ejus *Gerbardus in Diſſ. de Jure tertii in cauſa Regaliæ*, ex ſpoliis, quæ olim in Eccleſia viguerunt, deducit. Scilicet cum Epiſcopi neporum ſuorum curam habituri, Eccleſiæ bona invaderent, Clerici poſt mortem cujusque præſulis non dubitarunt omnem hæreditatem, ſine diſcrimine patrimonialium quoque bonorum, fiſco ſacro inferre; ut per *Can. 21. Concil. Chalcedonenſis* ſit ſancitum. *Non li-*

ceat Clericis post mortem Episcopi sui rapere res pertinentes ad eum, sicuti præcedentibus regulis constitutum habetur. Si vero hæc fecerint, periclitari se noverint a proprio gradu. Sed hoc non obstante canone, eo processit spoliandi licentia; ut brachio seculari esset coërcenda, & seculo IX. a Galliæ regibus comes una cum visitatore a Metropolitano mitteretur, qui bona vacantia custodiret, quod ex *C. VIII. Capitularium Caroli Calvi* probatur. Hinc remotis pedetentim visitatoribus, comites vel proprio ausu, vel reges per hos omnem hæreditatem sibi adjudicaverunt, & bona, ne ab ab aliis raperentur, ad se pertraxerunt. *V. Flodoardi Histor. Roman. L. IV. c. 2.* ubi Papa Formosus ann. 892. Ecclesiam Rhemensem privilegio liberat; *ne Reges Episcopi aut Episcopatus bona sede vacante in suum usum verterent.* Factum inde, ut reges episcopis decedentibus, non solum, quæ ipsi reliquerant, sed & reliquos proventus more Feudali tamdiu sibi vendicarent, donec novus Episcopus dignitatem ab ipsorum manu receperit. Hinc admodum prudenter *Petr. de Marca de Concord. Sacerdot. & Imper. c. XXII. num. 5. Quemadmodum plurimarum bujus regni provinciarum consvetudo Domino Feudi addicit usumfructum, quoties feudum vacat per mortem Vasalli, id quod vulgo Relevium (Reliev) vocant, sic reges eo feudorum jure, quoad regalia sive patrimonia episcopatuum, usi sunt interim, dum eorum custodiam ad se receperant, donec sedi vacanti præfectus esset episcopus, & donec is investituram a Rege accepisset, juramentumque fidelitatis præstitisset.* Hoc jus percipiendi fructus ex sedibus Episcopalibus vacantibus una cum reliquis partibus Regaliæ ab *Innocentio XI.* Regi Galliarum *Ludovico XIV.* in acquisitis bello pro-

 vin-

vinciis denegatum, quod ſecularibus poteſtatibus nullum in res ſacras Jus eſſet, & *Can. XIII. Concilii Lugdunenſis* Reges ſevere ab ejus uſurpatione arceat. Acciderat id jam olim *Ottoni IV.* & *Friderico II.* Imperatoribus, qui banno laceſſiti, *hanc minimam ſcintillam Juris Cæſarei*, ut *Fridericus I.* hoc jus appellat apud *Arnoldum Lubecenſem in reſponſione ad querelas Cleri Germanici* amiſerant, & ſolenniter eidem renunciarunt. *V. Baron.* ad an. 1199. in *epiſtola Principum & Baronum Clericor. & laicor. ad Innocent. III.* & *Frider. II. auream bullam an. 1208. editam* & poſt ſexennium repetitam, quam *Schilterus de Libertat. Eccleſ. German. l. V. c. VI. n. 1.* exhibet. Nec Imperatores Romani aut Reges Galliæ tantum hoc jure præ reliquis eminebant, ſed *Landgravii Thüringiæ* & *Marchiones Miſniæ* in parochiis *Arnshauck*, *Triptis auma* & *Ziegenruck* in circulo Neo-Stadienſi usque ad ann. M CCC XC IV. idem exercebant, quo ad preces Cleri promittentis certas vigilias annuas remiſerunt *Fridericus*, *Wilhelmus* & *Georgius* fratres, uti ex diplomate Teutonico patet, quod *Schilt. l. c. p. IV.* recenſet. Sola itaque ſtirps regum Galliæ hoc *jus Regaliæ* & in ſpecie fruendi bonis eccleſiaſticis vacantibus ad noſtra usque tempora, vel indulgentia Pontificum, qui Cæſareæ majeſtati tantum imminebant, vel ſtrenua virtute ſua, qua jura patria defendere aſſolet, retinuit. Habet tamen adhuc quoque, quod Pontifici opponere poſſit, Imperator Romanus, ſi *Ottonis IV.* & *Friderici II.* ſolemnem renunciationem vi banni extortam reſcindere velit. Idem enim, quod Galliæ rex, ad propriæ cauſæ patrocinium allegari poſſet; quod *jus Regaliæ* regiæ coronæ ſit inſitum & innatum, *un Droit.*

de Couronne, quod nec alienari a Regibus possit, nec ab aliis præscribi; uti prolixior de hac re edisserit *Larequanus Tr. de la Regale. c. VIII. p. 98. sequ.* Ad hæc Imperatorem ea non urgeret difficultas, quæ Gallis ab impugnatoribus Regaliæ opponi solet, nimirum, quod in illis terris, ubi a Regalia se immunes dicunt Episcopi, *Jus Relevii* ex quo Regaliam deducunt, nunquam obtinuerit. Cum enim Ecclesiæ ab Imperatoribus bona feudalia sint donata, necessarium quoque fuit, ut illa feuda iis quoque conditionibus possiderent, quas in prima feudorum origine publica utilitas svaserat. Cum itaque personæ Ecclesiasticæ, quæ feuda Ecclesiæ concessa acceperant, vasalli Imperatorum sint facti, necessario inde quoque sequi videtur, Imperatorem post obitum Episcopi, quod eo casu feudum vacet, illud ad se recipere & retinere posse, donec novus episcopus feudi investituram acceperit. Hinc fisco Imperatorio omnia bona mobilia, more ex Feudali jure consveto quondam sub *Frider. I.* cessisse, ipsumque strenue contra Pontificum machinationes hoc jus defendisse *Schilterus* l. c. asserit, & *Lehmannus in Chron. Spir. l. V. c. 67.* postea quoque observatum probat. Ast temporum sequiorum sancta simplicitas, & effrænata Pontificum dominandi libido majestatem Imperatoriam Regaliæ quoque juribus privare ausa est; adeo, ut vix tenuis umbra autoritatis Cæsareæ circa ecclesiastica jura & bona remanserit, quæ brevi plane sit expiratura, nisi Invictissimi JOSEPHI jurium per Italiam patriorum restauratoris indoles generosa meliora aliquando fata polliceatur.

VII. Quod

VII.

Quod in *Jure Regaliæ* negando ſummorum Imperantium jus imperii convellere Pontifices Romani audent, majori adhuc niſu concuſſere; quando bona eccleſiaſtica tam levi pretio parta, ab omnibus tributis civilibus, & jurisdictione quoque ſeculari, in præjudicium civium & Principum exemerunt. De qua exemtione, ſi accuratius ſtatuendum ſit, error primo illorum notandus erit, qui ſub bonis eccleſiaſticis, quandoque etiam patrimonialia Clericorum comprehendere volunt, iisque ſine diſcrimine, favorem, quo piæ cauſæ hac in parte fruuntur, tribuunt, ac patrimonialia etiam Clericorum bona ab omnibus tributis & collectis libera eſſe pronunciant, *Natta conſil. 280. n. 5.* & *Carpz. Jurispr. Conſiſtor. l. 3. d. 311.* plurimos adhuc doctores allegat, qui in eandem ſententiam conſpiraverunt. Præcipuum illorum argumentum habetur: quod collectæ imponantur perſonis pro rebus *Bartolus* in *l. reſcripto §. ſciendum ff. de muner. & honor.* cum vero laicis ſuper eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis nulla ſit attributa facultas *c. eccleſia X. de conſtit.* non poſſe hinc illas gravari ex defectu jurisdictionis perhibet *Petr. Anton. de Petra in tract. de poteſtat. princip. c. IV. n. LV.* Sed conceſſo, quod laicis nulla in rebus eccleſiæ competat poteſtas (quod tamen eſt πρῶτον ψεῦδος) argumentum exinde etiam refutari poterit, quod una eademque perſona diverſis qualitatibus moralibus prædita, pro diverſa haberi diverſoque jure cenſeri queat. *l. apud filiumfamilias ff. de manumiſſ. vind. c. cum. capell. X. de privil.* Clericus igitur reſpectu ad officium habito, in perſona-

ſonalibus, jure clericalis immunitatis gaudebit, in patrimonialibus autem, laici ſive civis beneficiis fruetur, & in favorabilibus æque ac in odioſis civis ſortem induet. Aſt circa illa bona, quæ non ſunt in patrimonio Clericorum, ſed univerſæ Eccleſiæ oblata, gravior definienda veniet controverſia, ſi in illorum immunitatem ab omni vectigali & tributo inquirere velimus. Illorum olim nullum diſcrimen, de civilibus bonis in exigendo tributo habitum, plurima in hiſtoria, ante *Friderici II.* Imperatoris tempora, exempla inveniuntur; adeo, ut *Fridericus Barbaroſſa*, fruſtra conquerente Papa *Adriano*, ab ipſius Papæ bonis per Italiam publica tributa reipublicæ non popoſcerit tantum, verum omni quoque rigore exegerit. *Bambergenſis* inde *Epiſcopus* apud *Radevic. l. IV. de geſt. Frider. c. 34.* a nuntiis Papæ, Cæſari propoſitum inter alia memorat: *de dominicalibus apoſtolicis fodrum non eſſe colligendum, niſi tempore ſuſcipiendæ coronæ.* Poſteaquam vero *Fridericus II.* vi banni coactus ſublevavit iſtis oneribus eccleſiæ bona, omnibus collectis & tributis ſeſe ſubducere, Clerici non dubitarunt. Hanc Eccleſiarum immunitatem, *quam rerum divinarum ſvaſit reverentia, qua etiam hoſtes, ut parcerent, commovit frequentisſime Grot. de J. B. & P. l. III. c. 12. num. 6.* ipſis non inviderem; niſi quodammodo, ſi amplius obſervetur, eadem in damnum reliquorum civium vergeret. Quodſi enim nimium bona Eccleſiæ excreſcant, laicorum inde imminuantur, & ea Principum multorum ſit ratio; ut tributorum ſummam integram præſtandam non facile remittant, ſed novis ſæpe adhuc inventis nominibus adaugeant; reliquorum civium res in eo verſari videtur, qui pro rata, onera

onera bonis Ecclesiæ olim injuncta exsolvere tenebuntur. Hinc æquum putaverim, ut tributa ex illis quoque, quæ nuperrime ad Ecclesiam transiere, bonis a Magistratu civili exigantur. Quod enim Pontificii & Canonistæ illico juris dictione Principis exemta dicant prædia, quam primum in Ecclesiam transferuntur, falsum est. *V. Augustin. Barbos. de jur. Eccles. l. I. c. 39. §. 5. num. 35.* Ideo in Gallica optime constitutum, ad solum regem pertinere *jus amortizandi Jac. Gothofred. ad l. 4. c. Theod. de Episcop.* neque *amortizationem* bona eximere suprema jurisdictione regia, quod observat *Carol. Molinæus ad consvetud. Paris. l. I. §. 30. n. 26.*

VIII.

Immunitatem ab omnibus tributis piarum causarum, exemtio quoque a magistratus civilis jurisdictio consecuta est. Clerici enim iniquum ducunt, si seculares judices de rebus spiritualibus judicarent. Quamvis enim Francorum & Grrmanorum ecclesia jurisdictionem etiam civilem in causis viduarum & pupillorum olim habuerit, quod ex *can. XII. Concil. Matisconensis* ann. 558. habiti & *libr. V. Capitular. CLXXXII.* patet; concurrens tamen illa quoque regum fuit jurisdictio, uti *Pipinus* Galliæ rex *in Synodo Vernensi C. XXIII.* contendit. Ipsæ vero ecclesiæ a jurisdictione civilis Imperii Francorum nondum fuerunt exemtæ. Nam per tria secula ad *Carolum M.* usque & Regum & Comitum jurisdictioni subjectæ mansere teste *Lehmanno Chron. Spirens. l. II. c. XXI. & XLI.* Constituti hac de causa Ecclesiis a Regibus judices, qui *Vice-Domini*, *Advocati*, audiebant, quorum officium erat judicare de

Ab-

Abbatum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, & minoris ordinis Cleri controversis bonis, quod ex *Capitularibus* & *Hincmaro*, *Conringius* probat in *Exercitat. de Judic. reipubl. Germ. num.35.* Antiquitatem rei *Pipini* quoque constitutio indicat, *l.3. LL. Longobard. X.32. Et hoc statuimus, ut ubicunque Episcopi substantiam habuerint, Advocatum habeant in ipso comitatu, qui absque tarditate justitiam faciat & suscipiat &c.* Hanc *Advocatorum* juris dicendi potestatem subvertere Clerici frustra diu moliti sunt, donec Ottonum ætate, nonnullis Episcopis, Moguntino scilicet, Coloniensi & Herbipolensi plena bonorum administratio & secularis in populum jurisdictio fuerit concessa: reliquis tamen Episcopis sui manserunt Advocati. Illos constituere regii erat juris, & *Urbanum III.* ann. 1186. frustra laborasse *Baronius* indicat, ut liceret Episcopis, quos vellent, Advocatos adsciscere. Primum *Fridericum II. Imperat.* Clericos ab omni jurisdictione seculari & Advocatorum exemisse nonnulli contendunt; quod tamen obscure ex verbis Bullæ, quam *Goldast. in statut. Imperial. fol. 73. & 74.* exhibet, demonstratur: *Omnia nos spiritualia vobis & aliarum ecclesiarum prælatis relinquimus libere disponenda, ut quæ sunt Cæsaris, Cæsari, quæ sunt DEI, DEO recta distributione reddantur.* Negari interim nequit, hac in parte autoritatem imperatoris *Friderico II.* regnante fuisse imminutam; plena tamen exemtio bonorum istorum ab omni jurisdictione Laicorum, ad *Wilhelmi* tempora & interregnum ab aliis certius referri solet, & privilegium a *Wilhelmo Episcopo Mindensi* collatum *Conringius Diss. de Judic. Respubl. German. num. 71.* citat. *Regalia &*

admi-

administrationem bonorum temporalium ipsius ecclesiæ sibi concedimus, de benignitate regiæ majestatis, ut de cetero tanquam princeps Imperii bona Ecclesiæ administret, ordinet, dispenset, prout melius ad utilitatem Ecclesiæ videtur expedire &c. Hoc privilegio postea omnibus quoque clericis concesso, cum a tributis & jurisdictione seculari se suaque bona liberassent, majestas imperatoria magnum decrementum sensit, ut vix tenues reliquias ratione bonorum feudalium adhuc retinuerit. Hujus exemtionis a jurisdictione seculari iniquitas, ut noscatur amplius, duplex habendus est respectus; nempe vel personarum, vel bonorum : De personis enim judicandi facultas quam inique summis potestatibus sit subducta, jam dicere supersedeo; cum de jure rerum, non vero personarum sit agendum. Nempe Ecclesia, quæ in Republica est, nullam circa bona sibi concessa jure divino vel antiquo ecclesiastico jurisdictionem, nullum judicium, arrogare potest; cum finis ejus sit spiritualis, & inde quoque potestas, quæ ipsi ejusque ministris competit, alia quam spiritualis esse nequeat. Sane a potestate, quam prætendunt, excommunicationis a Christo concessa, si qua est, non licebit argumentari ad potestatem jurisdictionis politicæ, annexam habentis potestatem cogendi externe & violenter. Doceant ulterius Clerici, qua lege jurisdictio secularis post *Friderici II.* tempora ipsis contigerit. Nulla sane ratio juris alia, quam metus banni & tyrannidis papalis, quæ Imperatores & Principes ad quævis alia iniqua quoque ferenda permovit. Constat etiam bona, quæ ad pias causas a privatis personis, vel donatione vel legatis pervenere, salvo jure

 supe-

ſuperiorum, in Clericos translata fuiſſe. Qua ratione Princeps jurisdictionem jusque ſummum in ejusmodi bonis per donationem privatorum ſalvo imperio amittere haut potuit. Metuendum ſane fuiſſet, tandem omnia bona laicorum dominio Clericorum ſubjectum iri; niſi, quæ DEI gratia eſt, huic iniquitati per Reformationem obex fuiſſet poſitus. Quot & quanta diſſidia in Imperio Romano-Germanico, & aliis regnis exlex illa poteſtas Epiſcoporum circa bona Eccleſiaſtica excitaverit, hiſtoria teſtis eſt. At ſi τὸ κύριον habet in republica ſummus Princeps, habet ſimul etiam ſummus epiſcopus in externis, cum Eccleſia, ut peculiaris ſtatus a Republica ſeparari haud debeat, id quod *Pufendorfius* in libro *de Habitu Religionis Chriſtianæ ad ſtatum civilem* ſolide evicit.

IX.

Sed ulterius Clericorum iniquitas proceſſit, ut, cum bona Eccleſiæ ab omnibus tributis & jurisdictione ſeculari exemiſſent, privilegia quoque a ſummis imperantibus efflagitarent, quæ in illis caſibus, quibus laici, quos vocant, impliciti, in ipſorum favorem mitiora ſemper ſtatuerent. Hanc iniquitatem, quæ contractus in acquirendis piis cauſis tangit, ſupra *Sect. II.* notavi. Hoc loco illam, quæ ad adminiſtrationem bonorum eccleſiaſticorum ſpectat, obſervabo. Primo loco in adminiſtratione moveri poſſet quæſtio, *num Eccleſia jure & privilegiis minorum gaudeat & illa ſemper ſit amplectenda ſententia, quæ Eccleſiæ faveat?* aſt illam jam in antecedenti Sectione expoſui, ibique notavi, quod huc quoque adplicari velim. Tranſeo itaque ad contractum

tractum ſpecialem mutui, in quo Eccleſia hoc jure ſingulari gaudet, ut quamvis creditor mutuo dans non teneatur probare pecuniam verſam in utilitatem debitoris; ſi tamen Eccleſia mutuo acceperit pecuniam, creditor obligetur probare verſionem in utilitatem Eccleſiæ *v. Tiraquell. priv. 134.* quod etiam *Covarruvias l. 2. reſolut. 17. n. 3.* ad venditionem extendit, quando res eccleſiæ ob neceſſitatem æris alieni ſolvendi venditur: nam & tunc emtorem debere eſſe ſolicitum, quo pretium convertatur, ſtatuit. Paucis, putem rem ex indole perſonarum contrahentium eſſe dijudicandam. *Ille* qui nomine Eccleſiæ contrahit, & vel mutuum a creditore accipit, vel ad æs alienum tollendum bonum Eccleſiæ vendit, eſt antiſtes opinione vir bonus, & officio gravis, rerumque eccleſiaſticarum gnarus, cujus autoritatem conſenſus patronorum, quem in ejusmodi contractu oneroſo prius requirere debet; firmat. *Alter* eſt laicus, qui præjudicio ſanctimoniæ deceptus, cum viro bono, nedum eccleſiaſtico, ſibi negotium eſſe arbitratur, & inde bona quoque fide cum Eccleſia per antiſtitem contrahit, incertus ad quem ſpecialem finem ſummam mutui eccleſia velit impendere. Hinc, ſi creditor ſtatuto tempore reſtitutionem mutui, vel emtor traditionem rei venditæ expoſcat; num quæſtio ipſi erit movenda de reſtitutione mutui, vel traditione rei venditæ, priusquam ſummæ verſionem probaverit? Neutiquam hoc judicaverim; quia ſi talis ſumma æris non in utilitatem Eccleſiæ ceſſerit; culpa ad antiſtitis malitiam vel negligentiam redundat. Eccleſia igitur, quæ talem ſibi ipſi elegit, vel antiſtes tanquam proxima cauſa culpæ

I 2 potius,

potius, quam bona fides & justa simplicitas creditoris vel emtoris damnum inde emergens ferat, & ex proprio peculio restituat. Pari ferme ratione procedit privilegium, quod Ecclesia habet de exceptione non numeratæ pecuniæ in infinitum, *v. Tiraquell. priv. 145.* cum eadem alias intra biennium tantum opponi possit: *l. 8. & 14. §. 2. C. de non numerat. pecun.* Quodsi enim Ecclesia confessionem mutui quidem exhibuerit, pecuniam autem non acceperit, damnum, quod inde sentit, justius a procuratore, qui curam administrationis gerit, restituendum repetat, quam a creditore, qui intra biennium a procuratore antistite fuisset conveniendus. Privilegium hoc, si accurate expenditur, magis in favorem Clericorum & personarum, quam piarum causarum conceptum esse videtur; cum piæ causæ de non sentiendo damno securæ quoque esse possent, si procuratorem convenirent, eundemque ad præstationem summæ, quæ per ipsius negligentiam periit, adigerent. Metuendum enim foret, quod, si administrator rerum ecclesiasticarum, aut qui in hoc munere illi succedit, creditori non faveret, post longum temporis intervallum summam mutui sub exceptione non numeratæ pecuniæ in dubium creditori vocare atque hac ratione omni argento fraudare posset. Id quod, si sæpius accidat, sanctam Ecclesiæ fidem, lubricam, ipsamque ad contractus mutui incapacem redderet. Prospiciat igitur sibi maxime creditor in contractu cum Ecclesia, aut ejus curatore necessum est, & quam in aliis contractibus quoque negligit sollicitam circumspectionem, omnem in contractu cum Ecclesia ineundo colligat.

Sancta

Sancta hinc Ecclesiæ & pietatis nomina ipsum cautum reddant, &, si cum ecclesia contendat, semper jus suum periclitari existimet. Specialiter enim, etiam sine traditione hypothecæ, rem sacram siquis obligare velit, *c. nulli X. de reb. Eccles. non alien.* prohibitum, & obligantem specialiter adhuc arbitrarie puniri posse, contendit. *Molin. tr. 2. d. 466. num. 1.* Si tandem summa pecuniæ creditori sit restituenda, tot artes & fraudes iterum excogitavere, quot ad decipiendum creditorem sufficiunt. Primo enim deficientibus mobilibus, immobilia bona Ecclesiæ debent creditori offerri in Antichresin, ita tamen, ut fructus prius computentur in sortem, & postea in usuras & quidem minimas, scilicet tria pro centum per *Authen. hoc jus porrectum c. de SS. Eccles.* Hæc bona si creditor nolit accipere, consensu majoris partis Cleri adhibito, & actis supra hanc rem confectis, prædium per viginti dies subhastari, & postea plus offerenti vendi debet, hac lege; ut ex pretio satisfiat creditori, alias enim non securus erit emtor. Emptore nullo reperto, res accurate æstimata & decima parte æstimationis super addita, creditori in solutum danda, nec electioni creditoris permittitur, sed ex æquitate res mediocris accipienda. *Novell. 120. c. 6. Imperator enim magis favendum censuit Ecclesiæ debitrici, quam privato, Sichardus Comm. C. ad Authent. hoc nisi n. 10. de solution.* & in hoc differt beneficium dationis insolutum in genere concessum ab eo, quod competit Ecclesiæ. Nam si alius debitor creditori bona sua in solutum offerat, res optimas & præstantissimas offerre, & creditori electionem relinquere tenetur per *Nov. IV. c. 3.* Sed ecclesia poterit res mediocres in solutum of-

ferre, & quidem partim frugiferas, partim steriles possessiones per *Nov. 120. c. VI. §. 2. in fin.* In hoc solutionis debiti processu, quem *Brunnemannus in Jur. Eccles. l. II. c. XII. num. 30.* & in *Comm. ad Authent. Hoc jus porrectum c. de SS. Eccles.* exponit; si singula capita recensere velimus, tot impietates, quot singulæ propositiones erui possent. Verum cum prudens lector easdem ipse deprehendat, prælonga demonstratione nauseam legentibus non movebo.

X.

Quanto hinc mitiores in executione contractuum, qui ex parte Ecclesiæ sunt onerosi, fuere Clerici, tanto severiores in illis extitere, qui piis causis jus in aliorum bonis constituunt. Sive enim ex donatione, sive ex venditione Ecclesiæ jus in alium competat, hypothecam simul in alterius bonis habet, & si in donatis ipsi hæc jura attributa, multo magis quoque erunt in onerosis contractibus, v. g. mutuo, uti *Brunnemannus l. II. c. XIV. num. 5.* recte concludit. Hoc quidem privilegium concedi posset, cum in arbitrio tertii sit; an vel per donationem vel emtionem Ecclesiæ in suis bonis hypothecam velit constituere. Ast, quod hanc hypothecam comitatur adhuc jus singulare, nota quadam injustitiæ laborat. Statuit enim *Manzius in cent. decis. quæst. 24. num. 31. & seqv.* quod, licet anteriorem expressam hypothecam in bonis præsentibus & futuris habeam; in bonis tamen post contractum quæsitis Ecclesia, si vel ex statuto vel ex conventione hypothecam habeat, mihi præferatur. Quod privilegium iniquissimum judicaverim; quia tendit in præjudicium

dicium tertii, & commercia fidemque datam disturbat. Res exemplo fiet clarior. *Sejus* nobilis cum sit dominus aliquot prædiorum, & aliquando plura ex hæreditate *Bruti* patruelis speranda habeat, summam a *Titio, Sempronio, & Cajo*, quæ patrimonium excedit, in mutuum accipit, atque illis hypothecam simul in bonis aliquando hæreditate percipiendis constituit. Rogat deinde quoque *Cassium*, cui administratio piarum causarum est commissa, qui cum *Sejo* multis aliis nominibus obstrictus, & de mutuo recipiendo per hoc privilegium sit securus, summam pecuniæ ipsi exsolvit. *Brutus* patruelis post hæc moritur, & *Sejus* ab intestato succedit, atque genio, nova hæreditate adjutus, liberius litat. Hujus, si fidem in dubium vocent, atque concursus creditorum existat, quæstio enascitur; num Ecclesiæ hypotheca in bonis hæreditate, & adeo post contractum adquisitis, præferatur hypothecæ *Titii, Sempronii, & Caji*, qui spe hypothecæ prioris in bonis percipiendis inducti, *Sejo* argentum dedere. Hæc, si ex *Manzio* decidenda veniat, Ecclesiæ jus ille confirmabit, in damnum & præjudicium tertii male collatum. Hujus generis cum plurima alia ex *Horatii Lucii Privilegiis Scholarium, Cornelii Benincasii Privilegiis Paupertatis, Petri Rebuffii Privilegiis Universitatum, Tiraquelli* & ejusmodi aliis commentariis suppeditare possem. Sed ex hoc uno, a studio partium alieni judicari possunt, quantum piarum causarum privilegia circa contractus reipublicæ noceant. Si quis plura exempla desideret, ex ipsis, quos allegavi, fontibus eadem hauriat.

XI. Quam-

XI.

Quamvis vero per ſolutionem & compenſationem mutui, prædium aliquod Eccleſiæ, ſi ſolemnitates rite obſerventur, alienari posſit; regulariter tamen alienatio horum bonorum omnibus clericis interdicta, per *c. V. X. de reb. Eccleſ. alien. vel non. Nulli liceat alienare rem immobilem Eccleſiæ, ſive agrum, ſive ruſticum mancipium, neque ſpecialis hypothecæ titulo obligare.* Hanc conſtitutionem ex ratione ſtatus Pontificiorum ortum traxiſſe, quis non videat, cum per hoc decretum omnem aditum ad recuperandam Jurisdictionem ſecularem in iſtiusmodi bonis, quæ ſemel Eccleſiæ ceſſerunt, magiſtratui civili præcluſerint, & hoc privilegium ab omnibus humani generis juribus ſit diverſum, utpote ubi adquiſitiones & alienationes rerum ſunt in motu perpetuo. Id ſane extimeſcendum fuiſſet, niſi certis limitibus, quamvis arctioribus, circumſcripta poſtea hæc eſſet ſententia quod *Job. Petr. de Ferrariis in Prax. t. 51. num. 3.* ſuo tempore ann. 1410. jam veritus eſt, *quod ſcilicet omnia bona Laicorum tandem in dominium Clericorum tranſitura ſint.* Hinc *Bodinus l. V. c. 2. de Republ.* in Gallia legibus ſancitum affirmat, ut, ne opes Clericorum in nimium excreſcerent, & ſtatui civili graviores imminerent, quæ prædia ipſis dono data fuerint, pretio conſtituto vel magiſtratui vel aliis laicis vendenda offerrent. Religioni pariter ac Reipublicæ hac ſanctione optime Galli conſuluerunt, quarum cura haud diſparata agi debet. Huic liberæ Gallorum diſpoſitioni de alienandis Eccleſiæ bonis, ne alios quoque Principes ad idem exemplum invi-

invitaret, obicem posuere per *c. placuit 8. c. 16. qu. 3.* dum statuunt in rebus Ecclesiæ a principe alienatis, non statim securum esse emtorem, quamvis, si Princeps aut fiscus alia bona vendiderit, emtor non possit inquietari a pristino domino per *l. 2. C. de quadrienn. præscript. Caldas de vendition. c. XII. num. 27.* Profectam hanc sententiam sine dubio ex falsa hypothesi arbitror; nempe quod Principibus omnia jura Episcopalia curamque sacrorum denegare sint ausi. Ipsi ergo Pontificii, ne sacri regiminis interesse per hoc dogma fortean imprudentiores proderent, prohibitionem alienationis bonorum Ecclesiæ duobus modis restrinxerunt: scilicet, ut primo decretum & consensus magistratus ecclesiastici, sive autoritas Pontificum accederet, & secundo justa & sufficiens distractionis causa adesset, *in c. 1. X. de bon. Eccles. alienat. vel non. Cum evidens necessitas quare fieri deberet, vel utilitas non subesset.* Hæ limitationes ita sunt comparatæ, ut semper ad emolumentum status clericalis seu Papalis iterum applicari queant; præcipue cum *c. sine exceptione X. de his, quæ fiunt, a prælatis sine consensu capituli vers. nisi aliquid borum faciat, ut meliora respiciat* justam & sufficientem causam illam declaret, quæ Ecclesiæ non sit damnosa, sed proficua & utilis. At vero in alienatione bonorum ecclesiasticorum, si superflua sint, atque pensiones, quæ ministris Ecclesiæ solvuntur, excedant, non tam externa Ecclesiæ aut clericorum utilitas, quam Reipublicæ quoque salus erit attendenda. Bona enim, cum a donatoribus ad pios usus sint destinata, iisdem quoque consecrata intelliguntur, & pie-

K tati

tati respondebunt; etiamsi in Reipublicæ commodum, præcipue tempore necessitatis, impendantur. *Non enim aurum Ecclesia habet, ut servet, sed ut eroget & subveniat in necessitatibus arg. cap. ad audientiam. X. de Eccles. ædif. & conservatio sangvinis Christiani & periculi aversio, quibuslibet rebus pretiosior esse* censetur ut tradit Imperator in *in l. sancimus 21. C. de SS. Ecclesiis.* Quod si ergo subita hostilis calamitas ingruat, ad repellendum hostem alienari potuerunt, *v. Recess. Imper. Spir.* d. ann. 1542. §. 65. Aber der Kirchen Kleinode und Gezierde sollen in dieser Anlage nicht mit begriffen / sondern als zu einen Schatz der Christenheit / wo man das zu einer eilende nothwendigen / unvermeidlichen Hülffe bedürffen würde / gesparet und behalten werden. *Ambrosius* inde, postquam incurrisset invidiam Arianorum; ideo quod aureos calices distraxisset, ad redimendos captivos, vere respondit: quod DEO sint gratiores animæ captivorum, qui redimebantur, quam vasa aurea & reliqua templorum ornamenta. *v. Petr. Martyr. ad c. 21. l. 1. Reg.*

XII.

Hoc præsupposito, quod in casu necessitatis alienari queant, faciliori negotio illa poterit quæstio explicari; *num pia legata in aliam causam, quam fuere destinata, possint converti.* Absolute hoc negant canonistæ & *Lancelot. lib. II. t. XXIII. §. 1. cum ea*, inquit, *quæ ad certum usum largitione fidelium sunt constituta, ad alium, salva sedis Apostolicæ autoritate, converti non valeant. Moneta*, quem *Excell. Strykius* in *addit.* ad *Brunnemann.*

mann. Jus Eccles. l. II. cap. 12. num. 13. citat, in speciali tractatu *de commutatione ultimæ voluntatis cap. 3. num. 53.* præcipue urget, *quod executor ultimæ voluntatis ea propterea non immutare possit; quia commutatio sit executioni voluntatis contraria; etiamsi executor voluntatem in melius mutare velit.* Huic exceptioni *Monetæ* duo opponi possent, quod *primo* immutatio, præcipue si in meliorem adhuc causam convertatur, non plenarie sit contraria voluntati testantis; cum modum procedendi tantum negligat; primariam tamen intentionem, aut quæ saltem primaria esse debet, gloriam Dei promovendam observet. *Secundo*, quod si postulatum sit vel impossibile, vel superstitiosum, vel quacunque alia quadam labe laboret, neutiquam erronea testantis voluntas ad executionem alterum valeat obligare. Satisfaciendum quidem omni modo voluntati defuncti ab executore ipse statuo; verum si major immutationis ratio suppetat, & legatum in expressam a testatore causam vel physice vel moraliter impendi non posit; salvo donantis & donatarii jure, in alium usum erogari posse contendo. Quodsi enim publica utilitas vel necessitas commutationem svadeat; idem, quod in alienatione bonorum ecclesiæ asserui, procedere posse opinor, & mecum consentientem habeo *Monetam*, *c.6.* & *Covarruv. l. III. var. Resolut. c. 6.* Idem observandum quoque censeo; si usus pius, quem testator intendebat, impius deprehendatur, & juri divino adversus, quod *Carpzov. l. II. def. 312. Jurispr. Consistor.* arguit. Nec adeo necessarium judicaverim, ut usus semper sit manifeste impius, cui rem legatam destinavit testator; sufficiat interdum, si vel in me-

 liorem

liorem fortem poterit verti legatum, vel usus variis de causis plane cesset. Sic ad aliam æque piam causam erogari poterit legatum; siquid ad ornatum ecclesiasticum sit donatum, qui tamen jam dignitati & splendori Ecclesiæ respondet; si ad luminaria, campanas, turres altiores extruendas, vel ejusmodi alia externam magnificentiam cultus divini concernentia. Si vero quis vel simplicitate, vel superstitione motus, testator sit solicitus, executores veræ pietati magis, quam seipsum consulturos, & voluntatem in singulis quoque adiaphoris accurate explendam censeat, disponere eundem doctores posse, arbitrantur; ut, si Ecclesia legatum in alios usus convertat, ad hæredem iterum redeat. *v. Klock. Vol. I. consf. 37. num. 29. Ludowis. Decis. 179. num. 1.* quo tamen existente casu, etiam in gratiam veræ pietatis a summo imperante de jure dispensari posse arbitror. Urgent hic nonnulli ulterius *execrationes* illas, quas morientes, si voluntas ultima fuerit immutata in suis testamentis addunt. v. g. **Wer die Güter nimt / dem soll Leber und Lunge in Leibe versehren / wer was wider des Sterbenden Willen thut / den soll GOttes Hand mit Armuth / Kranckheit / Schmach und Schande straffen.** *v. Anton. Math. manud. ad Jus Canon. l. II. t. 15. pag. 235.* Ast invalidas illas maledictiones judicaverim, quas astus Clericorum persvasit simplicioribus laicis; ut ita deterrerent incautos & superstitiosos. Clero enim inventionem execrationum deberi, illi, quibus mens non læva fuit, jamdudum hariolati sunt. Miratur inde *Bachovius ad Treutler. Disp. II. th. 1. lit. C.* stilum curiæ Justinianeæ in formulis execrationum, *Novel. 8. in fin. Novell. Leon. & Alexan-*

& Alexandr. in Constit. quæ cum in leges Imperatorum Christianorum essent introductæ, postea quoque testamentis fuerunt admixtæ, & condimenti quasi loco adspersæ. Injuria hinc fit S. Patriarchis, dum origo maledictionum ad illorum tempora refertur, & exemplo *Jacobi* moribundi *Genes. XLVII, 29.* & *Josephi c. L, 25.* fratres suos obstringentis jurejurando, ut exuvias corporis ex Ægypto in Palæstinam secum auferrent, male illustratur. Toto enim cœlo differunt *execratio*, & *juramenti exactio.* Juramentum enim, qui ab altero exigit, nequaquam alteri maledicit. Execratio autem, tanquam species maledictionis nullo jure defendi poterit *v. Excellent. Stryk. Diss. de execrat. testator. c. 1. §. 14. seqv.* & *Becman. in præcogn. moral. c. 14.* Et quamvis excipiant, civiles leges quandoque a legislatoribus execrationibus munitas. *Primo* illas quis simpliciter approbet? & *secundo* non consequitur; quod illud, quod principibus in subditos licet, privatis quoque liceat in æquales.

XIII.

Cum ergo in aliam æque piam causam bona Ecclesiæ mutare liceat, nova eaque non levis momenti controversia attingenda venit; *num in formam patrimonialium & feudalium eadem redigere summo principi liceat?* Negant hoc tum Pontificii, tum Protestantium quoque nonnulli, sive ratione status, sive aliqua superstitione commoti. Quorum argumentorum pondera librare, & pro modulo ingenii mei expendere, a nostro tractationis argumento non alienum fore, existimo. Statum autem controversiæ, & quæ præcipue

observandæ sunt circa illum circumstantiæ, ante explicabo, quam argumenta hinc inde allata discutiam: ut eo penitius negantium robur & vim perspicere liceat. Non dubitamus vero quæstionem hanc affirmare; *nempe Principem aut cui Jura Episcopalia competunt, bona quondam piis causis dicata, superflua, deficiente jam illorum legitimo usu, ad formam patrimonialium & feudalium redigere, inque secularem usum, vero reipublicæ commodo jure posse convertere.* Addimus tamen limitationes, quas Pontificiis ipsis non licet amplius negare. *Primo* scilicet, *si necessitas & salus reipublicæ hoc suadeat.* Atque hic necessarium non judicaverim, ut tantum in extremæ necessitatis casu, cui depellendo nihil amplius sacrum est; verum etiam, quando laici impares sunt oneribus reipublicæ necessariis ferendis, & de corrigendis ejusdem morbis invalescentibus agitur. Exemplo illustri admodum *Clemens IX.* Pontifex Romanus hac in parte Principibus præivit. Nam is in gratiam reipublicæ Venetorum, cum Candiæ Saracenorum vis gravior immineret, *Ordines sancti Georgii in Alga Venetiarum, & Fratrum S. Hieronymi de Fesulis, ac Fratrum Jesuatorum ejusdem Hieronymi, cum omnibus eorum dignitatibus, officiis, ministeriis, omnique conventualitate, titulo, essentia ac denominatione perpetuo extinxit, suppressit, abolevit; bona vero mobilia & immobilia, sacra & profana, conventus, collegia, monasteria, domos, vineas, prædia, canones, responsiones, fructus, introitus, & omnia jura in suos sedisque Apostolicæ usus convertenda reservavit & ann. 1668. d. VI. Decembr.* publicata Bulla, id declaravit. In qua etsi ille ordinum suppessorum deficientem primævum religiositatis vigorem, & valde modicam

cam in Ecclesia DEI utilitatem accuset; cuilibet tamen in historia vel leviter versato, ratio in promptu erit, Pontificem ad sublevandos Venetos bello gravissimo Candiatico implicitos, potissimum eos ordines bonis suis exuisse, quorum minor contradicendi esset autoritas, quorumque reditus ditione Venetorum maximam partem circumscriberentur; id quod *Illustris Pufendorfius*, in *Commentatione* allegatæ *Bullæ Clementis IX.* addita, accurate admodum observat. Quodsi ergo Pontifici Romano bona ecclesiastica S. Ordinibus eripere, & in seculares usus vertere liceat, *antiquis dominis non consentientibus, non vocatis, non auditis, non adductis omnibus suppressionis causis, non verificatis aut justificatis, licet magnus & substantialis in instrumento defectus occurrat, aut solennitates jure requisitæ defuerint; licet constitutiones & ordinationes Apostolicæ, in generalibus conciliis editæ, Pontificum & Cancellariæ Apostolicæ regulæ, suppressorum Ordinum statuta, & juramento probata privilegia obstent.* Quodsi, inquam, Pontifici nondum extrema urgente necessitate, bona piis causis destinata, in secularem usum mutare, non injustum est; non video, cur Principi summa jura jura Episcopalia tenenti & exercenti, postulante salute patriæ, idem jus denegari queat?

Secundo, id licitum pronunciamus, *si salaria docentibus, & stipendia discentibus sufficienter jam sint constituta.* Nam sicuti omnis ordo sine honestis divitiis vilescit, *l. pietatis 6. de suspect. tutor.* ita æquitas quoque naturalis postulare videtur, ut imprimis Ordini sacro ita prospiciatur; ut non solum necessaria ipsi suppetant, verum etiam ad dignitatem eidem conciliendam,

endam, paulo liberalius, quam aliis dignitate minoribus ministris reipublicæ provideatur. Prout enim parce, aut splendide in republica tractari vulgus videt ministros Ecclesiæ & Scholarum publicos; ita de ipsorum munere & utilitate in civitate judicat, & nauci habetur ars, quæ cultorem suum esurire patitur. Eo autem major cura ministrorum Ecclesiæ ab imperantibus haberi debet, quo magis vera genuina Christi religio animos civium ad virtutem imbuit, & ad facile tolerandum civile imperium præparat. Ideo illis non solum præmium laboris debetur; sed &, cum Altari serviant, ex eodem ipsi honeste alendi erunt; uti in Veteri testamento non macilenta, sed lectissima sibi quæque pecora ad sacrificia, de quibus participabant, vendicare solebant.

Tertio, si numerus bonorum & Clericorum increverit, & Clerici reipublicæ magis sint graves quam utiles; sana ratio suadet, inutilia terræ pondera imminuere. Etenim, cum ad animos populi pietate & sanctimonia imbuendos maxime commodum videatur; ut peculiaris in civitate ordo sit constitutus, qui sacris vacet, & eadem curet; ita justa ratio habenda est, ne plures alantur, quam quot ad illum finem obtinendum requirantur, hoc est, ne plures tolerentur, quam qui revera aliquid proficuæ operæ ad ecclesiæ & civitatis commodum contulerint. Omnes igitur illi pro supervacuis habendi, qui numerum, ad ministeria ecclesiastica exsolvenda sufficientem, excedunt. Huc referimus otiosorum monochorum greges, qui sub obtentu paupertatis & pietatis, sese peculiaribus votis sacro Ordini adstringunt, & nullas veri divini cultus

par-

partes exercent, fruges tantum consumere nati aut facti. Cum enim isti ab omnibus oneribus civilibus sese immunes ferant, atque ex bonis civitatis alantur; par utique videtur, ne cui immunis istius vitæ amplectendæ facultas indulgeatur, quam qui summis potestatibus rationes sui consilii adprobaverit. Præsertim cum nullum in S. literis vestigium adpareat, quo Salvator noster voluerit, per cultum sui, reipublicæ habitum immutari, aut talem sibi cultum arridere, quo quis communis vitæ laboribus se subducens, aliis sui alendi necessitatem imponat.

Quarto: Si a pristino religionis vigore Clerici recesserint. Ipse Pontifex in allegata Bulla, hoc approbat, & suo exemplo argumentum Protestantium validum secularisandi bona Ecclesiæ superflua confirmat. Nam supra allegatos Ordines monachorum *ob deficientem religiositatis primævum vigorem* suppressit. Elegantissime hinc laudatus *Pufendorfius* in *Comment. ad* dictam *Bullam* ita infert: *Si Pontifici ad supprimendum aliquem ordinem dixisse sufficiat, illum a pristino religiositatis fervore ac spiritu degenerasse, in proclivi eidem fore, omnibus per Europam statibus, qui sedem Romanam adhuc venerantur, insignem partem decerpere, & ditiones cum potentissimo regno certantes, vili sibi membrana comparare &c. Cum igitur ejusmodi statuum lacerationes Camera Apostolica salva fronte prætendere nequeat, reliquum esse, ut cuique statui adcrescant bona sacerdotum, aut ordinum religiosorum, qui a Pontifice inutiles aut supervacanei declarati fuerint.* Inde porro colligere liceat, quod, cum omnes ferme ordines monachorum vel inutiles, vel in cultu divino observando remissiores inveniantur; Princi-

pes, jure ipsi Pontifici adprobato, bona illorum sibi vendicare, atque secularibus usibus necessariis destinare possint. Præsertim cum huic rei medicamina plane mollia suppetant, quæ sine molesto sui sensu adplicari queant. Puta, si libertas relinquendi ordines fiat iis, qui inviti, aut inconsulto impetu illos subierunt; qui autem velint immori suis institutis, & illis permittatur; ne tamen alii novi adsciscantur socii. Interim superfluæ istæ opes luxui aut superbiæ materiam præbituræ aliis reipublicæ usibus melioribus adhibeantur, modusque novis adquirendis justior constituatur. Hinc & nummorum aucupia, & dogmata quæ divinis literis ignorata a sacerdotibus in quæstum reperta sunt, proscribantur. Isthæc si tolerare Clericorum Ordo nolit, satis superque prodet; non tam pietatem sibi cordi esse, quam dominationem, & ut sibi per pingve otium saginæ suæ vacare liceat.

XIV.

His observatis circa sic dictam vulgo secularisationem, non video; ut pietas læsa dici queat; si, qui in illis latet, manifestus tollatur abusus, bonaque ecclesiastica superflua patrimonio Principis cedant. Miror inde propemodum, Summum Virum *Brunnemannum*, & alios etiam magni nominis viros, omnem, ut vocant, secularisationem bonorum Ecclesiæ fere improbare. Argumenta enim, quæ in medium proferunt, id sane evincere non videntur. Primarium inter illa, *Brunnemannus in Jur. Eccles. l. II. c. 3. §. 5.* exhibet. Putat enim bona, quæ in Papatu ad cultum super-

perstitiosum sint dicata, ad secularem usum non posse converti; ideo, *quia ista non Deastro alicui, sed finaliter & intentione ultima DEO vero dedicarint veteres, quem cum Romano-Catholicis Unum in essentia, Trinum in personis confitemur &c. Huic quicquid dicatum, dicatum esse ad pios usus; & quamvis usus, ad quem dedicata, sit superstitiosus, quia tamen ultimus finis fuerit cultus DEO præstandus, ideo ad alios pios usus sint destinanda.* Concedi hæc possent, si prius, quid sub *veris piis usibus* intelligatur, inter nos fuerit conventum. Duplicem dari *piorum usuum* significationem in aprico est, *strictiorem*, & *laxiorem*. Quodsi ergo Vir laudatissimus *pios usus* in *strictiori* & genuino sensu, quo salaria doctorum & ministrorum Ecclesiæ ac scholarum, stipendia necessaria, itemque eleemosynas in pauperes erogandas referunt, tantum accipit; nego omne id, quod in Papatu in cleri luxum collectum est, ad illos posse adplicari. Quodsi vero *laxiorem piorum usuum* interpretationem admittat; (quæ, cum mœnia, portas, vias publicas & ejusmodi alia *piis causis* quoque vendicet,) salutem Reipublicæ quoque respicit, nos per omnia consentientes habebit. Salutem enim reipublicæ, quæ in defendenda patria, componendis turbis, & sublevandis civibus indigentioribus ab oneribus reipublicæ necessariis versatur, pari vel meliori ratione, quam mœnia & quæ supra recensui *piarum causarum* titulum sibi vendicare, contendo. Si enim alii cives esurire ob tot bona civitatis in usum clericorum inutilium erogata necesse habeant, alii & quidem pii usus cessabunt, nec salaria doctoribus, nec stipendia discentibus, nec eleemosynæ pauperibus dari poterunt. Ad

 evitan-

evitanda itaque ejusmodi incommoda, merito quoque Ecclesiæ vel aliæ piæ causæ, quod superfluum habuerint, symbolum addant, & exuberantem opulentiam potius dispensationi Principis, cui cura salutis publicæ commissa, quam administrationi privati, ex ipsorum ordine suo commodo invigilanti, concedent. Ideo & illud præsuppositum non simpliciter approbarim, DEO magis placere illos conatus, qui pias causas etiam strictius sic dictas adjuvant, quam qui reipublicæ commodum necessarium, ex quo illæ quoque dependent, promovent. Sane secularem talium bonorum usum, non promiscue profanum cum *Brunnemanno* dixerim. Statuerim potius cum *Excell. Titio System. l. IX. c. XVII. Secularisationi, quæ bona superflua, & cultum opprimentia Reipublicæ reddit, nihil vitii in esse: Si vero in luxum & vanitates illa profundantur, hoc nemo probandum dixerit.*

XV.

Quæ *D. Himmelius* de *Canonicatu p. 173.* ex *Thummii tractatu de bon. eccles. qu. 7. p. 95. & sequ.* contra secularisationem bonorum ecclesiasticorum promit argumenta, etiam limitatione aliqua indigent. *Primum* & *secundum* argumentum inde desumit, *quod nefas sit, res divinas tangere, & jure civili quoque probibitum esse res sacras violare.* Sed hic distingvendum erit inter *profanam spoliationem* & *secularisationem* rerum ecclesiasticarum ad meliores usus, quæ jure divino & naturali prohibita dici nequit: præsertim cum DEUS istam bonorum profusionem non requisiverit, nec ad ejus cultum verum faciant. Jure autem humano per salutem

lutem reipublicæ, quam Princeps intendere debet, excuſatur. *Tertium* argumentum ex ſcoriis ſtatiſtarum Pontificiorum, ipſorumque ratione ſtatus clericalis eſt collectum. Exiſtimat enim, quod cum Jure Juſtinianeo *l. IV. t. 15.* integer ſit conſcriptus *de rebus alienis non alienandis*; multo majorem inde colligendam iniquitatem, quæ *de DEI bonis* diſpenſaret, ipſique dominium eripere conaretur. Jamdudum illa inter Proteſtantes opinio, quæ populo perſvaſit, bona ad pios uſus donata DEI dominio immediate ſubjecta, & omni hominum diſpoſitione exemta, evanuit. Quamvis enim proventus ex illis fundis, qui ſacro uſui dedicati ſunt, ad promovendam divinam gloriam tendere debeant; non tamen ideo conſequitur, a ſummæ poteſtatis civilis imperio bona Eccleſiæ eſſe prorſus liberata, Deoque ſoli eorum dominium tribuendam. *Non magis enim illa, quæ ſacris uſibus ſunt dicata, in DEI eſſe dominio, aut a DEO posſideri, vel divini eſſe Juris, quam quicquid eſt in mundo reliquum*, recte ſtatuit *Conringius in Comm. ad Bullam Innocent. X. p. 284.* Salſe admodum ad Clerum Pontificium adplicari poterit *Bionis* ſcomma, quod *Seneca l. VII. c. 7. de Benefic.* refert; *Omnes fures eſſe ſacrilegos, item contra nullum furem eſſe ſacrilegum. Quicunque enim id, quod Deorum eſt, ſuſtulit & conſumpſit, eum eſſe ſacrilegum. Porro omnia ad Deos pertinere, itaque ſacrilegum eſſe, quisquis quid alteri ſurripit. Ex adverſo nullum eſſe ſacrilegium, quia quicquid aufertur ex illo loco, qui Deorum eſt, transfertur in alium locum, qui, ut reliqua omnia, ſimiliter eſt Deorum.* Quæ *quarto* loco *Himmelius* urget, *interdicta Imperatorum & decreta Conciliorum obſervanda; quinto, infamiam facti*

 con-

concomitantem; & *sexto* denique, *pœnarum metum extimescendum*, illa de *abusu* secularisationis, qui sæpius intervenire solet, non vero de summa & legitima facultate Principis superflua Ecclesiæ bona in emolumentum reipublicæ vertendi, intellecta velim. Ejusdem roboris sunt, quas ex *Cothmanni Conf. 100. p. 358.* râtiones provocat. *Prima* enim, quæ sub fulmine anathematis ex Jure Canonico rem sacram possideri minatur; Protestantes, jugo Papali excusso, non amplius terreat; nec *secunda*, quæ ex Jure Romano Civili, res sacras nullo tempore usucapi posse, probat, Principibus summis, si nolint, Juri Romano obtemperandum svadeat. Controversia enim hæc, uti prudenter monet *Excell. Thomasius Diss. de bonor. secular. natur. non ex Jure Justinianeo vel Canonico*, sed ex *solo J. N. & Gentium decidenda venit. Magistratus enim politicus est lege humana solutus. Ad leges humanas vero Jus Justinianeum pariter & Canonicum pertinet.* Idem quoque l. c. monet, *siquis ex Recessibus Imper. antiquioribus illicitam secularisationem pronunciare vellet, cum illis omnibus, quotquot sint, derogetur per instrumentum pacis Osnabrugensis tanquam posterius nominatis Recessibus. Tertia* ratio claudicat; nam ex *c. XXX. Exod.* ad tabernaculum ornandum, res peculiares sacratas, & ex *Matth. c. XXIII. v. 17.* aurum templo sanctificari, teste Salvatore, probat; inde colligens, *regulam illam verissimam esse, qua dicitur: illud quod semel DEO dicatum, ad usus humanos amplius transferri non posse.* Prius, cum ex S. literis probetur, concedo. Qua ratione autem ex relatione, *res nonnullæ olim DEO fuerunt dicata*, (quod nemo negavit) ita sit inferendum, *ergo non debent ad humanos*

usus

uſus meliores magisque neceſſarios transferri, conſequentiam non video. *Quarta* ratio *Himmelii* ab exemplis punitæ ſpoliationis deſumta, invalida eſt, atque huc plane adplicari nequit; cum Scipionis Toloſſanum, Cambyſis Ammonium, & Phocenſium Delphicum fanum diripientium facinora & delicta, non ob diſſipationem rerum Diabolo ſacrarum, clade punita fuerint; ſed ob alias iniquitatis cauſas, quæ in bello ſunt frequentiſſimæ. Alias enim pii Reges Iſraëlis quoque peccaſſent, qui gentilium fana diruerunt & deleverunt; & DEUS cultum Diaboli tacite adprobasſet. Plura hic contra ſeculariſationem argumenta allegare ſuperſedeo, cum *Mauritius in Diſſ. p. 495.* & *Rhetius Diſſ. Jur. Publ. p. 92.* in illis, quæ hic omiſi, refellendis prolixiores fuerint.

XVI.

Telam ergo diſſertationis hujus abrumpo, æquum & benevolum lectorem rogans, ut, ubi in hoc argumento pertractando ejus expectationi minus ſatisfecerim, id ingenii mei imbecillitati non ab omni errore immuni, det atque condonet. Illa vero, quæ recte dicta fuerint, DEO juſtitiæ & veræ pietatis autori & ſtatori, mecum tribuat, cui

SOLI SIT LAVS ET GLORIA!